UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Deo Et Dei Cvltv

Chamier, Daniel

Frankfurt, 1627

Liber vigesimusprimus, De imaginibus

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-914

Visual Library

rebus omnibus inanimatis, sunto per nos sane honorandę reliquiæ. Sed id ad cultum religiosum, quid facit?

XXXV. Restant Patres: in quibus nihil esse iam potest difficile. Nam primo, eorum nihil est antiquius Constantino Magno, hoc est, trecentis post Christum annis: excepto illo de sede lignea Iacobi Apostoli, ex Eusebio 7. historiæ libro, cap. 14. editionis Christophorsonianæ: perperam tamen expresso Græco contextu, quem ecce tibi: τὸ Ἰακώβου θρόνον καὶ Ἀπόστολε εἰς δεῦρο πεφυλαγμένον οἱ τῇδε ἐξ Ἀμφιδεχλοῦ ἐπεποιήκασι ἀδελφοὶ σπουδῇ τοῖς πᾶσιν ἀποδείκνυντες· οἷον καὶ τοὺς ἁγίους ἄνδρας καὶ προφήτας ἔνεκεν, οἵ τε πάλαι, καὶ εἰς ἡμᾶς ἔσαιζόν τε, καὶ ἀποσώζεται ἀξιόχρεον σέβας. Cui vertendo loco emphasin addiderunt de suo, tum Rufinus, à quo Bellarminus maluit, tum Christophorsonus. Sed ita habet, *Iacobi Apostoli sedem huc usque seruatam, qui iis locis ordine successerunt fratres, perspicue cunctis ostendunt: adeo circa Sanctos viros propter pietatem retinebant olim, retinentque hodie condignum honorem.* At Rufinus, & ingens studium addidit, & à maioribus memoriam sanctitatis traditam, & cum magna veneratione haberi. Christophorsonus, *permagno æstimant*: Et sic solent plerunque, qui vertunt, ad sua præiudicia veteres autores inflectere. Sed redeo. Ergo trecentis post Christum annis, nullum omnino vestigium exstat adoratarum reliquiarum: vix etiam conseruatarum, nisi in sepulchris. Ergo ea veritas non est Christiana. Nam deinceps antea confessus sum, & inuectum id studium, & auctum.

XXXVI. Secundo in omnibus iis Patribus, nemo est, qui reliquiarum meminerit vllarum, nisi corporum. Excepto eo, quem dixi, Eusebio: Excepto item Athanasio in vita B. Antonij, qui ab eo sibi legatum pallium scribit tritum, & Antonium se in Antonij muneribus amplecti, recordarique per vestimentum imaginem sanctitatis. In quo non video quid sit momenti. Nam amicorum dona magni facere, maxime absentium, aut defunctorum, id vero est promiscui affectus, non cultus vllius religiosi: de quo instituta est disputatio hæc. Nec mihi legas itasse Christianos, & supplices esse factos illi sedi, illive pallio, aut coram iis plebem prouolutam preces suas demurmurasse, vota etiam exsoluisse: quæ si absint, tum nullum suis reliquiis honorem deferri queruntur nostri Papistæ.

XXXVII. Sed Bellarminus bis falso Chrysostomum citat ex Oratione in Inuentium, & Maximum. Semel, cap. 14. lib. 1. de Sanctis: Et iterum in hac controuersia. *Sæpius eos inuisamus, tumulos adoremus.* Nimirum falsata editione Latina incerti Interpretis, apud quem est, nõ *adoremus*, sed *adornemus*: quod ipsum tamen à Græco recedit, τὴν λάρνακα ἀπτώμεθα, *Capsulam attingamus*: sic enim repositũ in editione postrema Parisiensi Græco-Latina.

FINIS LIBRI VIGESIMVS.

LIBER VIGESIMVS PRIMVS.

De IMAGINIBVS.

Caput Primum.

STATVS QVÆSTIONIS DE IMAGINIBVS DEI.

PERVENTVM ad Imagines; de quibus, qui erit tractatus, duas habet partes: vnam de Imaginum cultu, alteram de earundem positu in templis. Et illi primum de Imaginibus; deinde de Cruce.

II. De Imaginibus disputarunt Papistæ. Peresius de Traditionibus parte tertia. Lindanus Panopliæ libri tertij capite vicesimo tertio. Alanus Copus contra Magdeburgenses dialogis, 4. & quinto. Croquetius Catechesi quinquagesimo, & sequentibus. Clingius Locorum libro quarto, capite quadragesimo septimo. Sonnius tractatu secundo in Decalogum. Polygranus in Assertionibus. Panigarolla disputatione decima quarta. Alphonsus de Castro aduersus omnes hæreses libro octauo. Bellarminus de Sanctis libro secundo. Vasques in tertiam Thomæ disputatione centesima prima, & octo sequentibus. Andradius libro nono Orthodoxarum Explicationum. Costerus Enchiridij capite vndecimo. Ioannes Hayus disputationum libro secundo. Richeomus tractatu tertio. Gregorius de Valentia, de Idololatria lib. 1. cap. quinto. Bailius Catechismi parte secunda, quæstione tricesima tertia. Rubenus de Idololatria. li. 3. c. 26.

III. Contra imagines, Zuinglius in Responsione Senatus Tigurini ad Constantiensem Episcopum: & Responsiones ad Valentinum Comparem articulo tertio: & in Isagoge. Caluinus Institutionis libri primi capite vndecimo, & duodecimo. Petrus Martyr in Prioris Regum caput septimum, & in primum ad Romanos. Beza, responsione ad duos Apostatas. Bulingerus Decadis secundæ sermone secundo Musculus in locis Communibus, ad secundum Decalogi præceptum. Iuellus contra Hardingum articulo decimo quarto. Sadeel ad Abiurationis Burdegalensis articulum quinquagesimum nonum. Vrsinus, locis Communibus in secundũ præceptum. Chemnitius tomo quarto Examinis. Hospinianus de Templis libr. secundo. Plessæus de Eucharistia secundi cap. 2. & deinceps: & contra Ebroicensem Episcopum ad locum nonum. Rainoldus de Idololatria libro secundo. Iunius contra Bellarminum. Petrus Molinæus in Clypeo Fidei, sectio. 113. & seqq. quinque. Riuetus Summæ Controuersiarum tractatus secundi, quæst. 33.

IV. Imaginem Costerus definit, quæ aliud cum sit, aliud quippiam animis nostris denunciat. Quæ definitio generalissima est, atque adeo ab Augustino Signis tribuitur, de Principiis Dialecticæ, capite 5. *Signum est, quod & seipsum sensui, & præter se aliquid animo ostendit.* Et de Doctrina Christiana lib. 2. cap. primo, *Signum est, res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire.* Et sane fateor, non raro Imaginis nomen ab eiusmodi autoribus hac notione vsurpari. Imo etiam latius pro iis rebus, quę sub sensus non cadunt, vnde à Philosophis sic censentur etiam illę rerum species, quę animo concipiuntur. Sed hęc notio aliena est à nostro proposito. Nam & res sacras non possumus absq; illa intellectus imaginatione concipere: & Deus ipse commendauit Ecclesię primum typos multos in Veteri Testamento, tum etiam Sacramenta in Nouo, quæ passim à Veteribus appellantur Imagines.

V. Prætermitto alias Imaginis definitiones. Illud certum, primo Imaginibus omnibus, de quibus cum Papistis contendunt Catholici, commune esse, vt sint χειροποίητα, id est, *humanu facta manibus*: quo non tantum excluduntur illi animi conceptus: sed etiam veteres typi, nouaq; Sacramenta. Nam etsi nonnullis accedit industria humana: tamen, vt sint signa, id inde non habent: exempli gratia, Panis Eucharistię, sine dubio panis fit humanis manibus: at non itidem corpus Christi. sed hoc fit omnipotentia Dei.

VI. Deinde illud etiam cõmune omnibus imaginibus iisdẽ, vt per dimẽsiones suas agant in sensus humanos, & repræsentent id, cuius sunt imagines. Quo rursus distinguuntur, tum ab illis conceptibus, quorum dimẽsiones nullæ sunt: tum ab omnibus similitudinibus ductis ex vi naturæ: vt panis refert carnem Christi; non vllis suis dimensionibus: sed vi vlla, proprietateque, quam habet à sua natura, vt corpus nostrum pascat, sicut caro Christi animam. Similiter Aqua Sanguinem repræsentat, quia sicut aqua corpores abluit sordes: sic Sanguis Christi peccata. Itaq; plenè definiã Imagines, materiam huius controuersiæ, quicquid ab homine fit, vt per dimensiones suas aliquid repræsentet. Qua definitione includuntur imagines pictæ, fictæ, fusæ, sculptæ, cælatæ: & si quæ sunt aliæ. Quanquam videntur aliis distingui posse in Imagines, & Statuas: vt Imagines sint tantum superficiei lineamentis, Statuæ vero solidæ, habentes ὄγκον. Quod si fit, tum videtur simulacri nomen, vel effigiei, vel aliquod aliud sumendum pro genere: cuius illæ sint species. Sed non adeo λεπτολογοῦς grammaticantur Theologi, ac ne vsus quidem quotidianus.

VII. Iam vero Imagines huiusmodi, vel Dei sunt, vel Creaturarũ. Hinc partes duæ disputationis. Nam, primo de Imaginibus Dei quæritur, verũ sint licitæ: hoc est, vtrum homini liceat quicquam pingere, fingere, fundere, cælare, quo Deus repræsentetur. Hanc quæstionem tractant Bellarminus, Richeomus, & Vasques. Docent tribus modis posse pingi aliquid, vel ad exprimendam perfectam similitudinem formæ, & naturæ rei ipsius: quomodo solas res corporeas pingi. Vel ad historiam aliquam oculis exhibendam: vel ad explicandam naturam rei, non per immeditam, & propriam similitudinem, sed per analogiam, siue metaphoricas, mysticasq; significationes. Non posse autẽ primo modo pingi Deũ: sed posse secundo, & tertio.

VIII. At Catholici primum illum modũ, dicunt esse Iesuitarum figmẽtum: nunquam autem ab alio vllo cogitatum. Imo nullam vnquam pictura repræsentasse perfectam figuram, & naturam vllius rei, siue corporeæ, siue incorporeæ: sed tantum lineamenta in oculos incurrentia, & ad summum, colorem. Et quidem non perfecte, sed ἀναλογῶς. Nam vnus idemque homo, & in parua tabella pingitur, & in magna. Cœlum ipsum, & orbis terrarum in globulo exprimitur pugni ad instar. Enimuero magnum quid concedunt Papistæ Deo, cum eum negant pingi posse, quo modo nulla res omnino pingitur. Plena veritas habet, Deum nullo modo pingi debere.

CAP. II.

De Deo pingendo, argumenta Papistarum.

I. SVam sententiam Papistæ sic probant. Primo, Si Angeli, licet incorporei, pingi possunt: Ergo & Deus, quanuis incorporeus. At verum prius, Exodi 25. Et prioris Regum sexto. Ergo & posterius.

II. Respondeo, primo negari consequentiam. Nam præter quam quod incorporeus est, etiam infinitus Deus. Angeli vero tãtum sunt incorporei, non etiam infiniti. Est autem rei corporeæ ad incorporeã, quędam proportio, quandoquidem vtraq; finita. At rei finitę ad infinitam omnino nulla, ac proinde nulla similitudo. Est autem omnis imago ipsa sui definitione finita, quia constat lineamentis. Deinde non est tantum incommodi in pingendis Angelis, quantum in Deo: quia non est tantum momentum in gloria Angelorum, quantum in gloria Dei. Ad hęc nunquam prohibitum est Angelos pingere: vt prohibitum est Deum pingere.

III. Certe in Concilio Niceno 2. Actio. 5. recitatur locus ex Ioãne Thessalonicẽsi: in quo hoc ipsum argumentũ ab Ethnico obiectũ diluitur. Et approbatur quidẽ à Synodo locus: etsi alias non Catholice doceat de Angelis. Cũ enim sibi Ethnicus diceret, eque licet Deũ pingere, vt Christiano Angelos: Ioannis negauit: posse n. pingi Angelos, vtpote non expertes corporis, quamuis tenuissimi. At Deũ esse incorporeũ, & informabilẽ, *Solũmodo Deus incorporeus, & informabilis*, inquit, *Intelligibiles aũt creaturæ, nequaquã ex toto sunt incorporeæ, & imitabiles pictura existunt, & circumferentiã habent. Quanquã autem non sunt, vt nos corporei, vtpote ex quatuor elemẽtis, & crassa illa materia, nemo tamen, vel Angelos, vel dæmonas, vel animas dixerit incorporeas: multoties enim in proprio corpore visi sunt: sed ab illis qũib. Dominus oculos aperuit.* Sic ille: male quidẽ de Angelis: sed negans tamẽ consequentiam ab Angelis pictis ad Deũ pingendum: quæ nostrorum est Papistarum.

IV. Secundo, antecedens non est certum. Nam in Exodo, & in Regum, dicuntur

dicuntur factæ statuæ Cherubim: nunquam autem Angelorum. Scio nominari aliquando Angelos, Cherubim, etiã in Scriptura: sed idem scio non semper Cherubim esse Angelos. Certe Rabbini, quorum ea lingua est, dicunt כרוב esse כולל לכל צורה, nomen generale cuiuslibet effigiei: in lege tamen specialiter esse figuram hominis. Sic Kimchi in radicibus, ex Ben-ezra. Dauid de Pomis in suo Dictionario: exponit *imagines habentes formam hominis*, nisi quod sunt alatæ, sumi etiam in Exodo, pro quibuslibet figuris, præsertim hominis, leonis, bouis, & aquilæ, in cortinis: itemq; apud Ezechielem. Quare præter 3. Geneseos vix vllus est locus in Veteri Testamento, vbi necessario intelligendi sint Angeli: si tamen hic etiam intelligendi necessario. Itaq; Franciscus Georgius Venetus, hos ipsos Cherubim in propitiatorio, exponit modo Sacerdotes sacrificantes: modo duplicem naturam illius, qui factus est propitiatio, pro nostris peccatis.

V. Secundum argumentum: Si Deus visus est corporea specie. Ergo etiã pingi potest. At verum prius. Ergo, & posterius. Probatur assumptum. Geneseos 3. Deus apparuit Adæ tanquam homo deambulans in Paradiso ad auram post meridiem. Geneseos 28. Iacob eundem vidit innixum summitati scalæ, ac proinde forma corporea. Exodi 33. Moses vidit posteriora Dei, id est, terga, & humeros. Isaias 6. & Micheas prioris Regum vltimo viderunt Dominum sedentem in solio, ad formam hominis regis. Annos 9. vidit stantem super altare. Daniel 7. sedentem in throno; describens etiam caput, capillos canos, vestimenta alba. Spiritus Sanctus apparuit in forma columbæ, Matth. 3.

VI. Respondeo, primo negari consequentiam, Quia etsi illa omnia essent vera, quæ in assumpto ponuntur, tamen diserte prohibitum est vllam fieri imaginem Deo: & quidem postquam apparuerat Adæ, Iacobo, Mosi. Quemadmodum autem, quæ præcedebant legem exempla, non infringebant legem: sic neque, quæ sequuta sunt. Imo certum argumentum. Quamuis Deus apparuerit Adæ, Iacobo, Mosi, tamen prohibitus est pingi. Ergo, etsi apparuerit Esaiæ, Michæ, Amoso, Danieli, non erit pingendus.

VII. Secundo, negatur inferri Deum apparuisse forma humana, ex locis Veteris Testamenti. Atque adeo in Genesi non legitur apparuisse instar hominis ambulantis, Tantum audisse Adam, & Euam vocem Domini ita ntis, siue ambulantis in Paradiso. Atqui audire vocem, non significat videre. Nam Samuel 3. prioris, audiuit vocem, nec tamen vidit quenquam. Porro ambulare, stare, sedere, & similia, cum de Deo dicuntur, notum est dici ἀνθρωποπαθῶς, ac proinde metaphorice. Columba autem profecto nulla fuit figura apparentis Spiritus, sed duntaxat tessera, aut signum præsentis: quomodo olim nubes, & columna ignis præsentem Deum significabat, non figurabat. Posteriora Dei, Exodi 33. non significant terga, & humeros, neque ita vnquam nusquam interpretatus est, sed significant quæcunque erant post Deum, tum temporis apparentem.

VIII. Quod attinet ad reliqua exempla, visiones fuere, vel in somniis, vel in spiritu, à quibus ad picturas nulla vis est consequentiæ, neque enim Deum licet pingere, quomodo suas operationes mentibus nostris repræsentat, quarum capaces non sumus, nisi secundum modulum nostrum. Sic Augustinus negat constituendam in templo imaginem Dei sedentis.

XI. Tertium argumentum. Si Scriptura tribuit Deo omnia membra humana: Ergo, & poterit Deus tanquam homo pingi. At verum posterius: quia dicitur stare, sedere, ambulare: nominantur etiam eius caput, pedes, brachia: tribuitur ei sedes, thronus, scabellum. Cur ergo non poterit pictura exhiberi, qualis depingitur in Scriptura?

X. Iterum, negatur consequentia. Primo, quia etiam si ita loquatur Scriptura, tamen diserte prohibitũ, ne pingatur Deus hominis figura. Hoc vero idem est, ac si diserte dictum esset. Quanquam dicatur Deus habere caput, brachia, pedes, stare, sedere, ire, & similia: tamen nõ est eo modo pingendus. Secundo, non quicquid, aut de Deo, aut etiam de homine dicitur, ita aut Deus, aut homo pingendus. Nam Augustinus de Fide, & Symbolo, c. 7. etsi videret Deo assignatam dexteram, tamen pronuntiauit, *Tale simulacrum Deo nefas est Christiano in templo collocare*. Et Richeomus c. 9. negat pingendum quicquid de Deo dicitur in Scriptura: Deum enim appellari ignẽ, Solem: nec tamen licere Deum pingi ignis, Solisve forma: Ergo, inquam, non est necessaria argumenti consequentia, alioquin certa esset etiam in Sole, in igne. Atqui (inquit Richeomus) Ignis, Solisve figura faueret Paganorum, Vulcano, & Phœbo, siue Apollini. Enimuero, inquam, hominis figura etiam faueret omnibus diis Paganorũ: qui omnes pingebantur humano corpore, faueret Anthropomorphitis, quorum non erat causa melior, quã Ethnicorum. Deinde hæc ipsa ratio solutione nostram confirmat, cum docet plus esse periculi in pingendo, quam in loquendo. Neque enim dixit Richeomus eam Scripturam, quæ Deum appellat Solem, & Ignem fauere Paganis: sed tantum eam picturam, quæ id quod Scriptura dixit, coloribus, siue lineis exprimat. Itaque, inquam, non est consequentia à phrasibus Scripturæ, ad periculum pictorum.

XI. Quartum argumentum. Si ea pinguntur, quæ minus videntur posse pingi: Ergo, & Deus poterit. At prius verum. Nam pinguntur virtutes, quæ non solum spirituales sunt, sed etiam accidentia: Ergo verum posterius.

XII. Respondeo negari, primo consequentiam: secundo assumptum. Consequentiam, quia non tantum Deus non potest pingi: sed etiam prohibetur pingi. At virtutes & similia, etiam si non possent pingi: tamen nullo vnquam præcepto prohibitæ sunt pingi. Posse autem facilius Deum pingi, quam virtutes, quam accidentia, hoc vero Bellarminus non docet. Nam etsi difficilius pingi possent, quam corpora: tamen facilius pingantur quam Deus: quia hic est essentia infinita, quæ nullo genere concurrit cum rebus finitis, in quibus sunt accidentia: sunt virtutes.

XIII. Quintum argumentum: Si hominis imago potest pingi: Ergo & Dei. At verum prius, quia homo potest pingi. Certa etiam consequentia: quia homo est imago Dei: Ergo verum consequens.

XIV. Respondeo, negari consequentiam: nam etsi ab initio mundi homo fuerit imago Dei: & homo potuerit pingi: tamen prohibitum fuit fieri vllam imaginẽ Dei. Deinde homo non pingitur, qua est imago Dei: sed qua est corpus. Hic instat Bellarminus: Ergo hominẽ non posse pingi. Quia homo nõ sit homo ratione figuræ, & colorũ, sed substantiẽ, & animæ, quæ pingi nõ possunt. At dicitur homo vere, & proprie pingi: quia figura, & colores imaginis, non solũ figurã, & colores hominis repræsentant: sed ipsum totũ hominem: alioqui nunquam fieret, vt res ipsa picta videretur res ipsa vera: quod tamen accidit vuis, quas pinxerat Zeuxis. Sed hæc portentosa sunt. Sane nunquã totus homo pictus est, qua constat corpore, & anima sed tantum qua est corpus. Nec quidem totus, qua corpus est: sed tantũ quã lineamentis, & coloribus proportionatis. Nam ipsa corporis substantia non potest pingi. Neq; id obstat, quominus imago videri possit res ipsa. Deludunturenim oculi: quibus id offertur ipsum, quod in rebus ipsis vsurpant: non tantum enim oculi animam hominis non vident, sed ne quidem substantiã corporis. Cum igitur, quæ vident in tabella, similia sunt iis quæ vident in rebus, tum ab eo signo ad rem ipsam progrediuntur. Ita facile, non tantum deceptæ aues, bruta animalia in vua Zeuxis, sed etiam Zeuxis ipse in velo Parrhasij. Quis enim nescit à sensibus decipi animæ facultates?

XV. Postremum argumentum: ex vsu Ecclesiæ. Iam enim receptæ sunt vbique fere imagines Dei. Et Concilij septimi actione 5. approbantur imago Spiritus Sancti in forma columbæ Concilij Tridentini sessione 25. admittuntur imagines Dei, præcipue in picturis historiarum.

XVI. Respondeo vlum Ecclesiæ nullum proferri, sed tantum vsum hæreticorum in Ecclesia. Nam Concilium Nicænum secundum, & Concilium Tridentinum nunquam fuere Catholica. Quanquam illud etiam prohibuit imagines Deo fieri; vt postea videbimus. Nec sane habent hoc quidem loco, Vllam siue ex scriptis, siue ex consuetudine vsum, quem proferant ante sexcentos à Christo annos. Itaque securi possumus concludere, nullo argumento probatum esse à Papistis licere Deum apud Christianos pingi.

CAP. III.

Deum non esse pingendum.

I. AT Catholici contra. Primo ex Scriptura: Secundo ex ratione. Tertio ex antiquitate Deut. 4. *Custodite sollicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem. in die qua loquutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel fœminæ:* & quæ sequuntur. Esaiæ 40. *Cui assimilabitis Deum fortem; & quam similitudinem* siue *imaginem ponetis eis?* Similiter 46. Actorum 17. *Genus cum simus Dei, non est existimandum auro vel argento, aut lapidi artis sculpturæ, & cogitationis hominum diuinum esse simile.* Paulus ad Romanos 1. *Mutarunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.*

II. Respondent Bellarminus & Richeomus, primo iis omnibus locis prohiberi imaginem Dei eiusmodi, qua Dei essentia perfectè repræsentari putetur. Secundo non agi quidem apud Esaiam de imagine facta ad repræsentandum Deum verum nec enim tales à Iudæis fiebant, sed de quibuscunq; simulacris, quæ haberentur pro Diis. Quasi Deus diceret: Si vobis simulacrum ligneum Deus est; cum ego etiam sim Deus, sequitur me similẽ esse Deo ligneo secundũ vos? nam Deus Deo nõ potest esse dissimilis.

III. Verum hæc sunt nihili, nec probari potuerunt à Vasque. *Non solum puto*, inquit, *prohiberi imaginem Dei primo illo modo, ne scilicet populus errore deceptus vellet ei effigiem aliquam exprimere, qua putaret ad vitam deitatem repræsentari, sed etiam quancunq; imaginem ipsius Dei.* Et vero primum quid opus erat vetare quod à nemine vnquam cogitatum fuit? Ne in Ethnicos quidem tanta cecidit dementia: vt totam naturam Dei repræsentare se putarent. Itaq; quomodo nunquam prohibuit Deus, ne homo mundum crearet; sic neque opus habuit, vt vetaret hoc modo suam naturam pingi. De secundo, quid est necesse dicere: Nam primo id Bellarminus refert ad duos locos duntaxat Esaiæ. Quid igitur reliquis futurum? Præterea mens illa nulla est Prophetæ. Non reprehendit, inquam, Propheta Israelitas, quod Dei imagines fecissent. Atque adeo non bene Vetus Interpres reddidit, *Cui similem fecistis*, præteritum pro futuro: quod imposuit Bellarmino, sed non nolenti. Monet ergo potius, quid faciendum non sit. Vno verbo, negat Esaias vllam imaginem faciendam Deo: qui nulli rei possit esse similis. Ideo præcedentia prædicant immensitatem Dei: quasi pro fundamento, vnde id consequens educatur. Deus est infinitus: ergo nulli similis: ideoq; imagine vlla exprimi non potest: esset enim ei similis, ac proinde non infinitus.

IV. Deinde, dico, si quid vnquã pingi possit primo modo, primo modo Trinitatem à Papistis pingi. Ratio. Quia enim illi soli tres sunt modi pingendi: ergo si non pingitur secundo & tertio; necesse erit pingi primo. Doceo autem non pingi secundo & tertio. Quia pingitur senex cum iuuene & columba. At ea primum nulla est historia: nunquam enim sic Trinitas cuiquam vsquam apparuit. Concedatur apparuisse. Patrem Danieli (etsi hoc falsum: nam Deus apparuit, non tantum Pater) tanquam senem: at non apparuit eidem iuuenis, non columba. Ioanni autem apparuit. Iuuenis nempe Christus annorum triginta, cum columba: at nullus senex. Itaque non potest hæc vlla esse historia. Estne igitur saltem analogia? Recte: si Trinitas tantum esset in tribus personis. Sed eadem est in vnitate essentiæ; quæ si desit, omnino Trinitas nec esse, nec dici potest. Ast ea pictura, nulla sui parte vnitatem significat, sed eque tres separatas substantias, ac tres separatas personas. Quæ igitur analogia esse potest? Maior esset in corpore tricipiti: nam & tria quædam exprimerentur; & vnitas non omitteretur. Sed peccaret tamen; quia non tres personæ denotarentur: nam tria capita non sunt totidem personæ. Si Iano vnam adderes faciem; saltem pueris imponeret τὸ ἀσύστατον ὁμωνυμίας. Sed paulo nasutiores vnam potius personam colligerent, quia Ianus ille vt bifrons, sic ne trifrons quidem scindi posset in totidem personas. Quid? quod in sene, iuuene, columba; primum columba, vtpote irrationalis, non est persona, teste Boethio? Quid? quod eadem columba nullo sensu potest esse ὁμοιόπτερος, imo ne ὁμοιόπτερος quidem. Ergo neque historia est, neque analogia? Quid ergo? Nempe vel primus pingendi modus; quod negant aduersarij: vel monstrum in religione: quod nos vltro dabimus.

V. Redeo ad locos Scripturæ. Vasques, improbata illa Bellarmini subtilitate, respondet; prohiberi quidem non solum imaginem Dei primo illo modo, sed etiam quancunque. Sed negat sequi, ex natura rei illicitum esse Deum pingere: sed iustis de causis fuisse in veteri lege prohibitum.

VI. Sed

VI. Sed Vasques, vt sincerior est in agnoscendo antecedente, sic ineptus in nouo illo effugio. Nam primò, quorsum illud de natura rei? Nam nos quidem vim facimus in prohibitione: quæ piis & timentibus Deum sufficere debeat: vt ne sibi permittant, vllius subtilitatis specie, irritum facere mandatum diuinum. Quid fatentur Papistæ, indispensabilem esse, aut certe dispensari non debere prohibitionem matrimonij in suis Clericis: quam tamen negant institutam ex natura rei: sed iustis quibusdam de causis: & institutam non autoritate diuina. Et ausint iidem hanc pingindi Dei prohibitionem, factam autoritate diuina, infirmare, quia non à natura rei, sed iustis de causis sit facta? Quanquan non intelligo, cur iustas causas apponant naturæ rei, quasi ipsa non sit iusta causa.

VII. Sed; falsum est, non factam ex natura rei: ipsa Prophetæ verba cõtrarium sonant. Non enim ille vnquam, protulit eam causam, quã indicat Vasques, propensitatem eius populi ad Idololatriam. Nullo, inquam, verbo, hanc causam indicatam inuenies. Sed alias; quia similes esse non possit Deus vlli rei Hæccine causa non est à natura rei? Concedam; si aliquando falsum sit axioma. Sed si certum, perpetuum, necessarium, neq; alias aliter habens sese: omnino definient sani, eam esse ab ipsa natura rei petitã causam: Et vero, vt non esset, tamen quia ratio est anima legis: & tandiu lex valet quandiu ratio: profecto aut hodie dicẽdus est Deus similis imaginibus Papisticis: aut concedendum, æquè prohiberi hodie imagines Papisticas, ac olim Iudaicas, siue Ethnicas. Exspecto videre frontem Iesuitarum, asserentium magis assimilari Deum imaginibus hodie, quam olim.

VIII. Ratio in primis illa ipsa est, quam mox audiuimus apud Prophetam. Nullum infinitum, vlla imagine repræsentari potest. At Deus est infinitus: Ergo Deus nulla imagine repræsentari potest. Assumptum per se manifestum est. Propositum probatur, quia, vt dictum est, imagines repræsentant per lineamenta, & colores. Lineamenta autem termini sunt corporum: colores autem sine corporibus nulli sunt. At nullum infinitum est corporeum. Itaq; nullum infinitum habet vlla lineamenta vllosve colores: quicquanque quod per lineamenta, & colores exprimi possit.

IX. Respondent Papistæ, per distinctionem illam suam triplicis picturæ. Non posse igitur pingi infinitum ad exprimendam perfectam similitudinem formæ & naturæ. Sed pingi posse primo historicè, ad repræsentandã aliquam rem gestam: vt in expulsione Adami de paradiso pingenda, Deus adhibendus esset figura hominis ambulantis. Secundo, ad explicandam naturam Dei per analogiam. Sic pingi Deum Patrem humana forma.

X. Sed, vt prius dixi, ridicula est distinctio, quæ primum membrum ponit chimericum. Idem enim est ac si dicas, eo modo non posse Deum pingi, quomodo nihil vnquam pictum est; imo nihil omnino pingi potest. Deinde ille historicus modus, nihil ad rem: non enim tum pingitur Deus, sed historia quæpiam: actusque transiens, qui Deus esse non potest. Sic, si verũ esset Abrahamo sub quercu Trinitatem apparuisse: non eam ego quidem inficias pingi posse hanc historiam; tabulam, inquam, fieri, quæ tres illos adumbret Abrahamo apparentes, & conuiuantes etiam: sed eam constanter negem esse imaginem Dei, aut Trinitatis.

XI. Superest analogicus modus; magis ad nostram quæstionem; & quẽ tolerandum negamus à Christianis. Non potest enim hic aliter intelligi; quam vt nonnulla pingantur nobis cognita, per quæ adumbretur natura Dei: quod si permittitur, Ergo & ignis, & sol pingendus erit: nam vterque ἀναλόγως eam naturam adumbrat. At ipsi aduersarij vltro concedunt, non ita debere Deum pingi. Similiter, licebit ergo Trinitatem pingere instar Iani τριπροσώπου; aut hominis τρικεφάλου. Nam in illo Iano erunt τρία πρόσωπα; quæ tamen vnum Ianum conficient: & in altero tria capita, quæ non totidem homines: vt in Deo tres personæ sunt vnus Deus. At Bellarminus eiusmodi imagines Dei negat tolerandas. Quod si in his verentur incommoda: ego nulla alia dico posse dari exempla, à quibus non aut eadem, aut similia timenda sint.

XII. Deinde dico, in nulla pictura reperiri posse ἀναλογίαν, quæ efficiat; vt ea pictura sit imago Dei. Ac sane nulla Bellarminus proferre potuit. Nam illa Patris; non καθολου Dei est, sed tantum Patris. Tum etiam ineptissima. Quid enim? Pingitur homo prolixe barbatus, & canus; in manibus habens globum. Quænam hic analogia est, quæso? Numnam vt Patrem in Diuinis putemus esse ætatis beneficium? Blasphemum. Non est enim Pater Deus, antiquior Deo Filio? quocunque tandem modo intelligas. Imo qui potest hęc pictura referre nobis Patrem; quæ ne inter homines quidem possit paternitatem? Neq; enim eo pater est quisquam, quo barbatus, aut etiam canus. Quid rursus globus ille in manu? An quia solus Pater cælos palmo ponderat? Imo æquè Filius, æquè Spiritus Sanctus. Oculo Ægyptij Deum ἱερογλυφικῶς denotabant. Et habebant in promptu analogiam; quia prouidens sit. Quid ergo? admittat-ne huiusmodi imaginem Bellarminus? Atqui, quum Deum concipimus Christiani, non prouidentem duntaxat; sed etiam justum: nec justum duntaxat; sed etiam potentem: nec vtrumq; tantum, sed etiam misericordem. At oculus neq; justitiam significat, neque potentiam, neque misericordiam: sed tantum prouidentiam: atque hanc ipsam vix: aut certe vix bene. Videt enim oculus: non prouidet; quod est consilij; ac proinde animæ. Itaque confidenter dico, nullam omnino picturam inuentum iri analogam Deo: ac proinde nullam quæ eius naturam exprimat.

XIII. Alia ratio à periculo maximo; ne eiusmodi imaginibus ingenerẽtur animis opiniones indignæ Deo. Exempli gratia: Pingitur Trinitas apud Papistas; vt senex sit barbatus; & juuenis vna cum eo; & columba ad pectus senis. In quo primo neque historia est vlla: neque analogia, vt ante dictum. Sed grauissima pericula. Primo, quia, cum nihil sit, quo vnitas repræsentetur trium personarum; periculum est ne destruatur τὸ ὁμοούσιον, & inducatur τὸ ὁμοιούσιον. Secundo, quia patet senior pingitur, verendum ne in illud quis incidat Arianum, ὡς ὅτι οὐκ ὢν atque ita Filius recentior inducatur Patre. Tertio, quia appingitur columba: quod animal est alterius generis ab homine, siue sene, siue juuene, quis non videt magnam inferti posse blasphemiã in Spiritum Sanctum? Quarto, vt concedam designari generationem Filij à Patre, vbi tamen docetur processio Spiritus ab vtroque; imo vbi saltem processio ab alterutro? Denique, quis non videt præsentissimum periculum τῆς αἰθεωπομορφίας? Auentinus Annalium septimo: *Quosdam qui in finibus Boiemiæ, atque Austriæ, supremam illam maiestatem, senis, adolescentis, columbæ imagine, vt adhuc fieri solet, pingebant, laxa religionis accersiuit.* Ioannes vicesimus secundus, *Anthropomorphitas esse renuntiat, quosdam ad ignem condemnauit.*

XIV. Simile judicium de ea eiusdem Trinitatis pictura, quam Richeomus adfert ex Paulino; Vox erat, & riuus, & columba. Atqui, ne sic quidem Trinitas apparuit vnquam? Nam riuus ille vnde? Sed in commoda, quia nullo modo τὸ ὁμοούσιον exprimitur; imo longe minus quam in præcedenti; quæ saltem Patrem & Filium eiusdem naturæ exhibet. At hic vox, riuus, columba, toto genere inter se differunt. Et rursus per riuum, quomodo designabitur generatio Filii? Processionem etiam Spiritus, quid est quod adumbret? Hæc & eiusmodi multa qui attendit, addat & illud ex Gregorio Nysseno de professione Christiana οἷον ἐπὶ τῆς εἰκόνος τὸ εἶδος δείκνυται, τοιοῦτον ἀναλαβεῖν καὶ τὸν ἀρχέτυπον νομισθῆναι μορφῶ. *Qualis ostentatur in imagine, talem concipiendum est esse formam exemplaris.* Et longe grauiorem hic causam agnoscet doloris, quam in eo pictore qui regis formam pollicitus, εἰδεχθῆ καὶ δύσμορφον εἶδος ἐπὶ τοῦ πίνακος διεζώγραφεν. Tanto, inquam, grauiorem, quanto periculosius est Deum, quam Regem male nosse.

XV. Superest Ecclesiæ testimonium. Hoc vero quid clarius? Primo enim, ne tenue quidem vestigium vllius testimonii ex antiquitate proferri potuit à Papistis. Quod si habuissent; quis omissuros credat fuisse? Nam alias quam curiose inquirunt: quam diligenter rimantur vel minima? Quam non negligunt ne ea quidem, quæ remotissima? Dum habeant homonymũ aliquid: simile quippiam, tenuem allusionem. Denique, dum vel interpretari, vel torquere, vel falsare: vel etiam coacte argumentari: tum illi triumphant. At hic nihil huiusmodi. Enimuero tantum, tam altum silentium, quis non miretur? Imo quis ex eo non concludat, omnino incognitam fuisse Ecclesiæ, pingendi Dei rationem, ante hæc postrema tempora? Sane vero ita est: Christianis auribus insolitum dogma, oculis insolitum spectaculum fuit, Deus pictus. Atqui, id verissimum, quod primum. Videant Papistæ, quomodo sibi consulant.

XVI. Sed non agam præiudiciis: quin potius perspicuis testimoniis rem ipsam docebo. Ac primo ex Ethnicorum obiectionibus. Solebant enim obiicere, Christianos nulla habere simulacra. Reuocandum est vero in memoriam, alias obiectum fuisse nobis argumentum, ad probandum Sanctorum cultum, huic simile; nimirum exprobrasse Ethnicos Christianis: quo ipsi sibi legem posuerunt, vt ne nunc possint idem à nobis propositum argumẽtum contemnere. Quanquam non pugnabimus nos quidem sola Ethnicorum obiectione: sed multo magis Christianorum ad eam obiectionem perspicua liberaque confessione: qua nos quidem longe superiores erimus. Nam Sanctorum cultum, obiectum Papistæ vsurpabant; quanquam certa inficiatione purgatum, vt ostendimus. At nos nunc docemus: non tantum Ethnicos culpasse in Christianis defectum simulacrorum Dei: sed etiam Christianos libere professos esse eorum apud se non tantum defectum, sed etiam neglectum, imo odium.

XVII. Origenes contra Celsum libro septimo, recitat obiectionem Celsi, οὐκ ἀνέχονται νεὼς ὁρῶντες, καὶ βωμοὺς καὶ ἀγάλματα· οὐδὲ γὰρ Σκύθαι τοῦτο, οὐδὲ Λιβύων οἱ Νομάδες, οὐδὲ Σῆρες οἱ ἄθεοι, οὐδ' ἄλλα ἔθνη τὰ δυσσεβῆ καὶ ἀνομώτατα. *Non sustinent videre templa, altaria, statuas. Nam neque Scythæ, neque Libyi Nomades, neque Seres athei, neque alia gentes impia & exleges.* Respondet Origenes, distinguendas causas. Ergo jam effectum fatetur: quasi diceret, Verum obiicis Celse: at nobis alia causa abhorrendi statuas, alia illis gentibus? Et, εἰ μὲν διὰ ὑγιῆ δογματίων οὐκ ἀνέχεται, ἐπαινετέον ὁ οὐκ ἀνεχόμενος· εἰ δὲ διὰ ἐσφαλμένων, ψεκτέον. *Si auersatur propter sana dogmata, laudandus qui auersatur. Sin autem propter falsa; vituperandus.* Paulo post ipsas causas distinguens, οὐδὶς οὐκοῦν διὰ τὸ ὀκνεῖν, καὶ καταισχύνειν, καὶ κατάγειν τοῦ θεοῦ τὸ θεῖον θεραπείαν ἐπὶ τοῦ τοιούτου ὕλου ἄτινοι ἐχρήματισθῆναι, οὐκ ἀνέχεται βωμοὺς καὶ ἀγάλματα. *Nemo eorum auersatur altaria & simulacra, ob hanc causam, quia inclinent, & auertant, & deriuent cultum Dei in huiusmodi materiam sic effigiatam.* Quanam contra Christianis? Χριστιανοὶ δὲ καὶ Ἰουδαῖοι διὰ τὸν Κύριον τὸν Θεὸν σεβόμενοι, καὶ αὐτοῦ μόνῳ λατρεύοντες, *Christiani vero & Iudæi*, Et notandum in eadem causa copulari Christianos, Iudæis; quibus, pro certo, nullæ omnino erant imagines Dei: *Christiani vero & Iudæi, quia dictum est, Deum tuum timebis, & ei soli seruies.* Et rursus, ὃ τιμῶμεν δὲ τὸ ἀγάλματα καὶ διὰ τὸ μὴ, τὸ ὅσον ἐφ' ἡμῖν, καταπίπτειν εἰς ὑπόληψιν τοῦ θεοῦ τοῦ ἄλλους θεοὺς ἑτέρους, *Propter hanc etiam causam non honoramus simulacra, ne in eam opinionem iudicamus, vt putemus simulacra esse alios Deos.*

XVIII. Arnobius lib. 6. *Consuetis crimen nobis maximæ impietatis afflingere; quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non Deorum alicuius simulacrum constituamus, aut formam: non altaria fabricemus, non aras.* En tibi iterum, iudicibus Ethnicis, magnum Christianorum crimen, nullius Dei simulacrum constituere. Quid Arnobius? Negauit-ne crimen? Possent hodie Papistæ: & suas Trinitatis imagines ostentare. Sed nihil huiusmodi Arnobius. Imo, substrato fundamento, vera Dei natura; prolixe diliter apud Minutium: *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra? Respondet Octauius, Putatis autem nos occultare quod colimus, si deexistimes, sit Dei homo ipse simulacrum? Quod enim simulacrum Deo fingam? cum, si recte intellectilis intellectile simulacrum. Non est Deus, qui vere Deus est, sensile simulacrum.* Sic enim, & lego, & interpretor locum, quem non est assequutus Gentianus. Rursus idem, ἡμεῖς, ἡμεῖς ἐσμεν οἱ τοῦ εἰκόνα τοῦ Θεοῦ ἐφορῶντες καὶ κινοῦντες τοῦτο ἀγάλματα, τοῦ ἀνθρώπου. *Nos, nos, insumus, qui imaginem Dei circumgestamus in hoc viuente, mouenteq; simulacro id est, homine.* Idem Stromatum quinto: Moses olim diserte legem tulit, non esse faciendum sculptum, aut fusum, aut fictum, aut pitellectilia transeamus. ἐξωνειδίζει γὰρ τοῦ τῆς σεμνότητος ἡ σύνθεσις καὶ τοῦ νοητοῦ θείας διὰ ὕλης σκιάζεσθαι, ἀπιμάζειν εἰς αὐτοῦ δι' αἰσθήσεως. *Nam Dei maiestatem vilẽ efficit, videndi consuetudo facilis: & intellectilem*

lem essentiam venerari per materiam, id est, quod eandem per sensum dedecore afficere.

XX. Origenes contra Celsum libro 8. *Celsus dicit, ἡμᾶς βωμοὺς, καὶ ἀγάλματα καὶ νάους ἱδρύσθαι φύγειν, Nos nolle constituere altaria, statuas, templa: οὐχ ὁρῶν ὅτι βωμοὶ μὲν εἰσιν ἡμῖν τὸ ἑκάστου τῶν δικαίων ἡγεμονικόν, Non aduertens nobis altare esse cuiusque iusti mentem: ἀγάλματα δὲ, καὶ πρέποντα θεῷ ἀναθήματα, οὐχ ὑπὸ βαναύσων πεχνιτῶν κατεσκευασμένα, ἀλλ' ὑπὸ λόγου τραφέντα, καὶ μορφωθέντα ἐν ἡμῖν. Simulacra autem & Deum decentia anathemata, non quæ illiberalium artificum opera sunt fabricata: sed quæ ratione dedolata, formataq; in nobis. ὃν πᾶσιν οὖν ἐστιν ἀγάλματα, οἷς πρέπον εἶναι πιστεύομεν τιμᾶν τὸν πρωτότοκον πάντων ἀγαλμάτων, τὴν εἰκόνα τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου λόγον μονογενῆ θεόν. In omnibus ergo sunt simulacra, quibus credimus decere honorari primogenitum omnium simulacrorum, imaginem Dei inuisibilis, vnigenitum Deum.*

XXI. Lactantius libri 2. c 2. *Si dij absentes esse non possunt, qui, quoniam diuini sunt, in quacunq; mundi parte fuerint, vident & audiunt vniuersa: superuacua ergo sunt simulacra, illis vbique præsentibus: cum satis sit audientium nomina precibus aduocare.* Et paulo post, *Etenim hominis imago necessaria tum videtur, cum procul abest: superuacua futura cum præsto est. Dei autem, cuius Spiritus ac numen vbiq; diffusum, abesse nunquam potest, semper vtique imago superuacua est.* Concurrit Arnobius lib. 6. *Si certum est apud vos Deos esse quos remini, atque in summis cœli regionibus degere, quæ causa, quæ ratio est, vt simulacra ista fingantur à vobis, quum habeatis res certas, quibus preces possitis effundere, & auxilium rebus exigentibus postulare?*

XXII. Augustinus Epistola 222. *Si Trinitas sic est inuisibilis, vt nec mente videatur: multo minus de illa huiusmodi opinionem habere debemus, vt eam rebus corporalibus, vel corporalium rerum imaginibus similem esse credamus.* Idem de Fide & Symbolo *Credimus etiam quod sedet ad dextram Dei Patris. Nec ideo tamen quasi humana forma circunscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, vt de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus omnino occurrat: aut idipsum quod sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, ne in illud incidamus sacrilegium quo execratur Apostolus eos, qui commutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulacrum Deo nefas est Christiano in templo collocare: multo magis in corde nefarium est, vbi vere est templum Dei.*

XXIII. Theodoretus 2 Therapeuticon disertissimus, διδάσκει σαφῶς ὡς οὐδὲν ἑαυτῷ τῶν ὁρωμένων ὁμοιόταται; καὶ παντάπασιν ἀπαγορεύει μηδεμίαν εἰκόνα πρὸς μίμησιν τῶν ὁρωμένων κατασκευάζειν, καὶ νομίζει τοῦτο δεῖκελον εἶναι καὶ ἴνδαλμα τοῦ ἀοράτου θεοῦ. *Luculenter docet, eorũ quæ videntur nihil sibi esse simile, & omnino prohibet fieri vllam imaginem ad imitationem eorum quæ videntur, existimarique imaginem, aut statuam inuisibilis Dei.* Præclare. Nihil, inquit, fieri ad imitationem eorum quæ videntur: Ergo non tantum imagines quæ putentur repræsentare naturam Dei perfecte. Nam quis eas dicet factas ad imitationem eorum quæ videntur? Ergo eas, quas solent fingere pictores, quæ referunt ea quæ oculis vsurpari possunt; tum postea dicuntur esse Dei imagines Imo amplius: quas Papistæ faciunt ad imitationem eorum quæ visa olim sunt, vt senex, vt columba, vt adolescens, ac dicunt esse imagines Trinitatis, quia Danieli senex visus est: Baptistæ autem adolescens, & columba.

XXIV. Quid plura? Ipso etiam tempore quo infinitum est strenue in imaginibus Sanctorum, tamen constante adhuc retinebatur hic Christianæ fidei sensus, vt ne Deus pingeretur. Damascenus Orthodoxæ fidei libro quarto capite decimosexto. τοῦ ἀοράτου, καὶ ἀσωμάτου, καὶ ἀπερίγραπτος, καὶ ἀσχημάτιστος θεοῦ, τὶς δύναται ποιῆσαι μίμημα; ὦ δυσφροσύνης πόνων ἄκρας καὶ ἀσεβείας τὸ σχηματίζειν τὸ θεῖον. *Inuisibilis, incorporei, incircunscripti, cuique nulla figura est, quis potest repræsentationem facere? Summi igitur furoris, impietatisque fuerit, figurare numen.*

XXV. Hinc grauis Armenorum accusatio. Nicephorus libri decimo octaui capite quinquagesimo tertio. *Tres cruces connectentes sanctam Trinitatem cognominant: eo pacto sorte insinuantes, Sanctam Trinitatem crucifixam esse. Imagines etiam Patris & Spiritus Sancti effigiant; quod perquam est absurdum. Imagines enim corporum eorum sunt, quæ videri & circunscribi possunt: non eorum quæ inuisibilia sunt, & intelligentia comprehendi nequeunt.* Euthymius Panopliæ parte 2 titul. 1. *Nec exhorrescunt, beatæ Trinitatis imaginem conficere, quæ sola increata est, & infinita; & indefinita, & prorsus incognita. Rerum enim, quæ finitæ sunt, imaginis conficiuntur. Cuius autem rei exemplar sub aspectum cognitionemque prorsus non cadit, eius rei quomodo quis imaginem conficiat?*

XXVI. Exstat libellus Græcus anonymus, χρήσεις ἐκ τῶν ἑπτὰ εἰκόνων δοκιμαζόμενοι σὺν τῇ ἁγίᾳ καὶ οἰκουμενικῇ ἑβδόμῃ συνόδῳ: cuius tamen initium pene ad verbũ lego in Euthymij Panoplia, quo loco de Imaginibus agitur. In eo libello est fragmentũ disputationis dialecticæ cum Imperatore quodam Ieonomacho. Vbi hæc legas, ad obiectũ Decalogi præceptũ responsa: οὐδὲ σὺν εἰκόνι γραπτέον τὸ μὴ θεωρεῖσθαι δυνάμενον, οὐ εἴδωλον γὰρ τὸ θεῖον καὶ ἀσχημάτιστον, καὶ ἄορατον, καὶ τῶν φαινομένων, καὶ ὀφθαλμοῖς ἀνθρώπων ἐγνωσμένων ἐστί; ἀλλὰ νῷ μόνῳ θεωρητὸν, εἴ τις καὶ τοῦτο δυνήσεται. *Neque imagine pingendum id quod non potest cerni. Numen enim specie caret & figura, neque videri potest, neque est eorum quæ videntur, atq; oculis humanis cognoscuntur, quisquam: verum mente sola contemplandum, si tamen & hoc quisquam possit.* Et iterum μία οὖν ἐστι ὁδὸς, ὦ βασιλεῦ τοῦ καλῶς βουλεύεσθαι, εἰδέναι τε καὶ ἐπίστασθαι, ὡς ἐπὶ μόνῳ θεῷ τὰς εἰκόνας τελεῖν ὁ νομοθέτης εἴρηκέ τε ἡμᾶς καὶ ἐκώλυσε. *Vna hæc via est optimi consilij capiẽdi, ô Rex, si sciamus soli Deo imagines facere, à legislatore nobis prohiberi.* Et rursus, οὕτω δικαζόμενοι καὶ διορίζοντες τόνδε τὸν λόγον, καὶ ὡς δυὸ πνὰς ἔρως θεῖον, ὡς αἰωρεῖσθαί τε καὶ συγχεῖν οὐκ οἴον τε. *Sic statuendũ est atq; hac disputatio definienda, ducq; tanquam limites ponendi, quos vel euertere, vel disturbare non liceat.* Πῶς καὶ πιστεύομεν; *Quomodo?* ὡς θεῷ εἰκόνας ἀποιεῖν, ἀλλὰ καὶ εἴ τις ἐγχειρεῖ τῶν πιστῶν, ὡς τῶν Ἑλλήνων κοινωνὸν δογμάτων ποιεῖσθαι ἀποβάλλειν ἐκ πάντως αὐθρώπους οἷ ὁσίως γραπτέον. *Non esse faciendum imagines Dei: imo si quis quid simile attẽtauerit, hunc extremis suppliciis obiicere: At homines Sanctos pingendos.* Et post, Ἔργα δὲ τοῦτο ἐστὶν ὁ διξίεις, ὡς ἐπὶ μόνῳ θεῷ ὠφελεῖκτέον τὸ τοῦ νομοθέτου λόγον, καὶ ὡς ἐπὶ τούτῳ τὰς εἰκόνας γράφειν ἐκώλυσε; sic enim legendum, non ἐκάλεσε. *An non hoc est quod disputabas, de solo Deo accipiendũ legislatoris sermonẽ, eiq; prohibitum esse imagines pingi?* τοῦτο γε ἐφῶ, & λέγειν οὐ παύσομαι; *Hoc quidẽ dicebam: neq; vnq; dicere desistã.* Τί δὴ οὖν; θεὸν ἀληθῆ τὸν Χριστὸν κηρύττεις; ἔγωγε· Χριστοῦ δὲ εἰκόνα οὐ γράφεις; Παύ γε. *Quid ergo? Deum verum prædicas Christum? Ego quidem. At Christi imaginem nonne pingis? Sane.* Πῶς οὖν εἰ θεὸν ἀληθῆ τὸν Χριστὸν κηρύττεις, Χριστοῦ δὲ εἰκόνας γράφεις, εἰ θεοῦ γράφειν εἰκόνας ὁ νομοθέτης ἐκώλυσεν; *Quomodo ergo, si Deum verum prædicas Christum, Christi imagines pingis, si Dei pingere legislator prohibuit imagines?* His subiicitur confessio Christiana de vtraque in Christo natura: Tandem. ἀλλ' ὁ καθὸ θεὸς, τὸν Χριστὸν γράφομεν, οὐδὲ κτῶ, τοῦτο τὰς εἰκόνας αὐτοῦ ἀποτίθεμεν· καθὸ δὲ ἄνθρωπος ὤφθη ὁ αὐτὸς, καὶ ἐπὶ γῆς ἐφάνη, τοῖς εἰκόσι κεχρήμεθα καὶ ὅτι τὸ ὁρατὸν καὶ περιγραπτὸν τοῖς τῆς ἀοράτου καὶ ἀπεριγράφου καὶ ἀσχηματίστου τῆς ἀοράτου καὶ ἀπεριγράφου καὶ ἀσχηματίστου τοῖς τῆς ἐπιφῆς καὶ περιγραφῆς καὶ ὁρατοῦ καταμικύνοντες λόγοις μανικῶς διαμορφοῦν ἐπιχειρεῖμεν. *Atqui non qua Deus est, Christum pingimus: neque eo respectu imagines ei constituimus. Sed quia idem homo est, & in terra visus est: eius vtimur imaginibus. Neque id quod est visibile, & circunscriptum: inuisibilitatis & incircunscriptionis aptamus mensuris, ne salute excidamus. Neque id quod tangi nequit, aut videri, aut circunscribi, tactus, circunscriptionis, visus rationi aptantes, furiose forma quapiam exprimere aggredimur.*

XXVII. Et in ipsa Synodo Nicæna secunda; in qua insolentissime triumphauit εἰκονομανία. Tamen actione quinta, legitur ex Ioanne Thessalonicensi, respondente cuidam, qui obiiciebat imagines Christi Christianis. *Dei imaginem (dico Iesu Christi, Seruatoris nostri) quemadmodum ipse super terram cum hominibus conuersatus est, pingimus: non vt ipsa natura Deus est. Quæ enim posset esse Dei similitudo, aut quæ figura incorporei, non effigibilisque Verbi Patris? Deus enim, vt scriptum est, Spiritus est.* Sed & Gregorius secundus Papa Græcis Dialogus dictus Epistola 1. ad Leonem Isaurum apud Baronium anno septingentesimo vicesimo sexto. Διὰ τί τὸν πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ οὐκ ἱστορεῖμεν, καὶ ζωγραφοῦμεν, ἐπειδὴ εὐκατόπτρωτός ἐστιν, καὶ θεοῦ φύσιν οὐ δυνάμεθα ἱστορῆσαι, καὶ ζωγραφῆσαι. *Cur tandem Patrem Domini nostri Iesu Christi non oculis subiicimus, ac pingimus? Quoniam quis sit non nouimus, Deique natura spectanda proponi non potest ac pingi.*

XXVIII. Denique in mediis Papisticæ εἰδωλολατρείας tenebris, quidam hunc lucis radium vsurpatunt. Teste Bellarmino, qui primo negat esse tam certum in Ecclesia an sint faciendæ imagines Dei; siue Trinitatis, quam Christi & Sanctorum. Secundo fatetur eandem Caluini sententiam quæ negat Deum vllo modo pingendum, etiam aliquorum Papistarum, nominatim Abulensis, Durandi, Peresij. Abulensis mihi nulla est copia. Durandi locus est ex quæstione secunda in distinctionem nonam libri tertij Sententiarum, *Imago aut repræsentat Christum secundum quod homo est, aut est facta ad repræsentandum Patrem vel Spiritum Sanctum, quoad Deitatem* (locus corruptus, & legendus, *vel Filium quoad Deitatem*) *sicut pinguntur quædam imagines quarum vna repræsentat Deum Patrem, & alia filium crucifixum, & tertia Spiritum Sanctum quasi columbam procedentem à Patre in Christum.* Tum postquam concessit priori modo deberi eundem honorem imagini, & Christo: *Secundo autem modo,* inquit, *fatuum est imagines facere, vel eas venerari, vnde Damascenus dicit libro quarto: Quod insipientiæ summa est & impietatis figurare quod est diuinum.* Quod attinet ad Peresium, is quod quidem vidi, nihil habet, quod ad hanc controuersiam pertineat, sed multa quæ ad aliam; vtrum eadem adoratio debeatur imagini & prototypo, de qua suo loco dicetur.

XXIX. Hic erat igitur sensus Christianorum in hac controuersia. Itaque non mirabitur jam lector, id quod paulo ante obseruauimus, omnino nullum prolatum esse testimonium, quo constaret pingendum esse Deum. Et quidem vide, quanti sit deflectere à prima sinceritate. Nullus olim vsus erat imaginem apud Christianos, quibus Sancti repræsentarentur. Tandem, vt postea docebimus, inualuit apud pauculos amor earum, quæ referrent vultus Sanctorum: inde intruduntur in templa: paulo post adorantur: Denique à Sanctis, deuentum ad Deum. Adeo certum, quod olim dixit quidam, non ibi consistere exempla vnde cœperunt. Certe Baronius ad illam Epistolam Gregorij Dialogi notauit in margine, *Postea vsu venit, vt pingatur in Ecclesia Deus Pater, & Spiritus Sanctus.*

XXX. Hic vero juuat attendere Bellarmini κακόηθες. Is ex Caluino sibi obiicit: Eusebium de Præparatione capite sexto libri primi: Et octaui secundi: item Lactantium decimo quinto primi; asserentes, omnes, quorum simulacra videmus, fuisse homines mortales: itaque nullum fuisse simulacrum Dei Immortalis. Rursus Augustinum, negantem fas esse Deo simulacra collocare, libro de Fide & Symbolo: & laudantem Varronem, qui dixerat, qui primi simulacra eorum induxerant, eos timorem dempsisse, errorem auxisse, de Ciuitate libri quinti capitibus decimo nono, & triginta primo: & Senecam libri sexti capite decimo, querentem, inuiolabiles Deos in materia vilissima dedicari. Et vt videatur etiam aduersario arma commodare, addit Origenem contra Celsum: Damascenum lib. 4. Docentes Christianos nullam Dei imaginem habere: & denique Patres Synodi septimæ, negantes Christum recte pingi, qua Deum.

XXXI. Respondet mire: Eusebium & Lactantium loqui de Idolis Gentium. Augustinum de Fide & Symbolo, loqui de imagine Dei primi generis. Varronem ita loqui, quia quidam crediderunt ipsa simulacra esse Deos: atque ita cœperunt contemnere: quod non erat futurum, si imagines Deorum credidissent, & quidem non proprias, sed analogicas. Senecam quæstum esse eadem de causa. Origenem, Damascenum, Nicænos loqui de imagine primi generis. Quis crederet tam leui corporis declinatione opus fuisse?

XXXII. Atqui primo, affingitur Caluino alienum argumentum. Nunquam ille sic probauit nullum esse simulacrum Dei, quia Ethnicorum idolo fuerint imagines hominum. Viderit Bellarminus vnde habeat: & vereatur ne sibi nimium merito præuaricatoris nomen quæsuerit. Sed Augustinum, Origenem, Damascenum, Nicænos loqui de imagine primi generis, id est, ad exprimendam perfectam similitudinem formæ: quam est vltra puteoris limites? Nam primo id genus imaginum nullum est, vt diximus. Secundo, Augustinus distinguit templum à corde: Et asserit multo minus in corde, credendum Deum sedere in throno: quam in templo ita pingendum. Atqui si imagines illæ perfectæ non possunt esse nisi in corde. Ergo quæ non erunt in corde, non erunt perfectæ. Itaque nihil ad istas. Nam Augustinus non tantum hanc imaginem in corde reprehendit, sed etiam illam in templo. Ergo non hanc, quatenus concurrit cum alia, sed vtram-

vtramque reprehendit seorsim: non autem alterutram. Tertio, Nicæni illi simpliciter docent, quid censeant: sed soluunt obiectionem aduersariorum: qui opponebant pingi Christum à Christianis: qui Deus est: itaque pingi posse Deum. Hoc argumentum sic diluunt, vt distinguant non imaginum varia genera, sed Christi varias naturas. Itaque hæc solutio tota est Bellarminiana. Quarto nusquam inuenias, Origenem, Damascenum, Nicænos, admisisse vllam imaginem Dei: itaque si distinguit Bellarminus, certe distinguit ex vsu sui temporis, non ex vsu Patrum: quod est importunissimum.

XXXIII. De Varrone, & Seneca: primo non habet Bellarminus assentientem Peresium. *Non ignorabat Augustinus*, inquit, *paucos aut nullos esse inter gentes, qui materias idolorum sic sculptas, Deos, aut Deum esse putarent* Secundo: Clemens Alexandrinus rationem præcepti diuini reddens, asserit Dei maiestatem vilem effici, videndi consuetudine: Ergo ea ratio non ad paucos pertinet, sed est ab ipsa imaginum natura: ac proinde incommodum omnibus cauendum, non tantum Ethnicis. Est enim videndi consuetudo innata quodammodo ipsis imaginibus: atque adeo dixerunt nonnulli Patres inde ortum idolorum vsum, quod vellent homines videre suos Deos. Certe Iudæi ab Aarone postularunt Deos qui coram se ambularent.

XXXIV. Porro Lactantius vtitur hac ratione. Præsentium rerum imagines sunt superfluæ: At Deus est vbique præsens. Ergo Dei imagines sunt superfluæ. Hoc argumentum soluendo, primum Abbreuiator Bellarmini negat maiorem: quia multi homines habent suas imagines domi. Secundo, Bellarminus non absentia simpliciter pingi solere: sed quæ videri nequeunt. Deum autem non videri, quantumuis præsentem.

XXXV. Sed illi primum non nos oppugnant, sed Lactantium impetunt: qui hoc argumento impugnabat Ethnicorum idola. Nobis quidem satis est, id olim Christianis fuisse persuasum, vt conficiamus longe ab illis discessisse eos, qui eodem se nomine dissimulant hodie. Secundo, Lactantius non dixit nullas esse præsentium picturas: sed esse superuacuas. Id autem eo vsu non infirmatur. Nam illi tot homines, qui suas habent imagines, habent sine dubio superfluas. In religione autem vix patitur homo pius aliquid superuacuum. Tertio, falsum est pingi quicquam, quia non videtur. Nam contra docebant Vetères τὸ ἀχειροποίητον, τὸ ἄσαρκον, pingi non debere. Tum hac ratione ostendunt Papistæ sibi suarum imaginum eandem causam esse, quæ Ethnicis erat, nempe vt, quod adorabant, viderent: cum contra veri adoratores, adorent in Spiritu.

CAP. IV.

Status controuersiæ de Veneratione Imaginum.

I. ACtum de Dei: nunc de Creaturarum imaginibus. Prima quæstio: Vtrum liceat pingere Creaturas. Secunda, Vtrum earum imagines colere. Tertia, Vtrum in Templis constituere. De prima non est difficile negotium. Consentiunt Catholici posse pingi Creaturas, neque id aut à Deo prohibitum inueniri, aut esse contra fidem. Imo Scriptura nobis imagines exhibet Cherubinorum, id est, hominum, boum, aquilarum, leonum: malogranatorum: & similium. Consentiunt itaque Christum posse pingi, & eius Matrem, & Apostolos, & omnes Sanctos.

II. Fiunt autem imagines dupliciter: vel ad viuum: vel ἐκ φαντασίας. Ad viuum: quum vultus ipse per lineamenta sic exprimitur, qualis erat eius qui pingitur. Sicut olim solebant viris magnis poni statuæ: & Reges suas imagines insculpunt nummis. Et alias sæpe. Sic etiam bruta animalia repræsentantur, imo sic omnia corporea. Nam & cœlum, & orbem terrarum, in paruulis globis contemplamur. Ἐκφαντασίας appello imagines, quæ vultus non referunt, neque ipsam lineamentorum proportionem, sed indicia tantum quædam, quibus discerni queat quodammodo id quod pingitur, etsi non certo. Vt Dauidem qui pingunt, exprimunt hominem habitu regio cum fidibus. Christum per hominem affixum cruci, cum corona spinea. Matrem Dei, per mulierem mammas porrigentem infantulo. Sic & ἀιδῆ multa pinguntur, annus, ver, æstas, autumnus, hyẽs: Virtutes, vitia, & similia. Aerem pictores exprimunt, & ignem, terram, aquam, elementa quatuor, sic regiones, prouincias, vrbes, flumina: instar virorum, & mulierum, pro ingenij humani luxuria, maxime autem pictorum priuilegio, & poëtarum: quibus quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

III. Harum imaginum, illas sensus communis dictat esse veras imagines: alias remotiores à vero, & quanquam hæ in vsu suo sint: tamen illæ requiruntur maxime in personis. Nam Cæsaris imaginem antiquarij vestigant, non quancunq;, sed eam quæ sit ad viuum. Reliquas, quæ eum exprimunt tantum ex gestis rebus, haud sane magni faciunt. Nec nos negligamus aut Christi, aut Sanctorum veras illas imagines, si forte dentur. Sed in Papistis miramur præposterum judicium; qui nullo discrimine omnes admittantur. Neque enim illis quisquam obiicit veram vllam imaginem. Caput Dei vulgo appellant; quod sibi quisque pictor pro arbitrio fingit, dum barbam flauam habeat, & crines promissos, & radios circa se. Paulum vocant hominem tenentem magnum gladium; quasi Heluetium militem, cuiusmodi forte fuit, cum non fuit Apostolus: at nunquam fuit, cum fuit Apostolus. Petrum caluastrum, gestantem insignis magnitudinis claues: Andream, præferentem crucem decussatam in angulos obliquos. Antonij nota est porcus: Ægidij cerua: Rochi, canis: Marthæ, Tarasca: ita enim appellitant draconem, quem occidisse fingitur. Lazari scabies: Georgij equus cum lancea, ac dracone. Christophori arbor in manibus, cum puerulo in humeris. Quomodo apud Ethnicos Saturnus falcem habet: Iupiter sceptrum: Mars arma: Venus speculum: Iuno pauum: Hercules clauam: Pallas hastam: Neptunus tridentem. Has accidentarias notas si detraxeris, tum & Ethnicis idem Mars erit, qui Iupiter: idem Hercules qui Saturnus: eadem Pallas quæ Iuno & Venus. Similiter apud Christianos, non habeas quo Petrum dignoscas à Paulo, si claues amoueas & ensem. Ni addat pictor canem, & ceruam, & porcum: tum idem Ægidius erit, & Rochus, & Antonius. Has sane imagines Catholici non magni faciunt; etsi non damnent simpliciter. Viderit Bellarminus, quid cum Iudæis agat; quid cum Turcis.

IV. Sed in reliquis quæstionibus, non conuenit Catholicis & Papistis. Prior est Vtrum venerandæ sint imagines. Et respondent omnes Papistæ affirmatiue. Quin honorem etiam describunt; eundem, qui debetur prototypo. Sic enim definitum jam olim. Euthymius. *Imagines honor in exemplar recidit: & vna est vtriusque adoratio: quoniam vna est effigies vtriusque.* Atque id est, credo, quod nonnulli debitum, siue conuenientem cultum appellant. Lorichius, *Imagines sacræ debita veneratione sunt dignæ, & tali à fidelibus colendæ.*

V. Sed recentiores, ac Iesuitæ maxime, distinguendum putauere diligentius. Itaque adorari quippiam dicunt primo, per se, vel accidens: Secundo propter se, vel propter aliud. Tertio, propriè, vel impropriè. Per se id, in quo inest ratio adorationis. Propter se, quod habet in se rationem venerationis non dependentem aliunde. Propriè, quod vere ratione sui ipsius honoratur. Per accidens, quod est coniunctum rei quæ adoratur, nec est ipsa ratio adorationis. Propter aliud, quod habet quidem in se causam honoris: sed totam pendentem ab alio. Impropriè, quod honoratur loco alterius. Rex per se, propter se, & propriè. Legatus per se quidem; & propriè, sed non propter se: quia propter regem, à quo est legatus. Purpura regis per accidens; tantum, quia hæret regi dum rex honoratur. Signa omnia, propter aliud, nempe propter prototypum. Vicarius impropriè, quatenus vicem gerit eius, qui honoratur, sicut Traianus post mortem triumphauit in statua sua.

VI. His positis, quum veteres Imaginarij, tantum dixissent Imagines adorari propter prototypum; id est, non propter se, sed propter aliud; Bellarminus longe diligentius. Primo, Imagines Christi & Sanctorum, venerandas esse, non solum per accidens, vel impropriè; sed etiam per se & propriè: ita vt ipsæ terminent venerationem, vt in se considerantur, & non solum vt vicem gerunt exemplaris. Secundo: quantum, admodum loquendi, præsertim in concione ad populum, non esse dicendum imagines vllas adorari debere latria: sed è contrario, non debere sic adorari. Quo vtroque capite aduersatum habet Vasquem. Tertio; Si de re ipsa agatur, admitti posse, imagines coli impropriè, vel per accidens, eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur. Quarto, Imaginem per se & propriè non esse adorandam eodem cultu, quo ipsum exemplar: ac proinde nullam esse imaginem adorandam cultu latriæ per se, & propriè. Quinto, Cultum, qui per se, & propriè debetur imaginibus, esse cultum quendam imperfectum, qui analogice & reductiue pertinet ad speciem eius cultus, qui debetur exemplari.

VII. Hinc disce quid frontis fuerit apostatis Launæo, & Pennetario, qui cap. 3. libr. 1. suæ Declarationis, tam seuere affirmant à suis Catholicis, id est, Papistis, neque in Templis, neque vspiam alibi, imagines proponi ad adorandum, seruiendum, colendum, cultu & honore diuino: sed pro historiis & monumentis rerum præteritarum. Quanquam non illi tantum; sed etiam vulgus Papistarum, negat statim à se adorari imagines: & hanc habet semper in ore purgationem sui, si quando à nobis admonentur. Crediderim ego, erubescere eorum doctores, apud discipulos: nec audere palam profiteri id, quod in scriptis non verentur asserere. Verisimilitudinis indicum à Bellarmino: qui, etsi concedat imagines adorari eodem cultu cum prototypo: tamen non patitur ad plebem dici vllas adorandas latria. Nec dubito hanc cautelam latius produci, vt multi in suis homiliis negent adorandas imagines. Illi viderint. Certe Tarasius, ille magnus iconolatra, in Nicæno Concilio secundo, actione quarta hunc in modum definiit, *Omnes qui sacras imagines se venerari confitentur, adorationem autem recusant, à sancto Patre tanquam hypocritæ redarguuntur. Nam cum vere adorationem, quod est honoris symbolum, recusant, contrarium facere cognoscuntur, nimirum sanctis conuicia dicere.*

VIII. At Catholici longe facilius. Primo, si quem honorem imaginibus permittunt, longe longeque separant à religione, vt nihil cum ea commune habeat. Secundo, honorem illum, potius pretium appellant: nec honorem nisi abusiue. Quia honorem sciunt non deferendum, nisi excellentioribus: & nulla omnino imago est homine, quantumlibet tenui, non inferior. Pretium autem imagines habere possunt, vel per se, ac propter se, vel per accidens. Per se, & propter se, ob artem, vt olim ab Apelle, Phidia, aut Zeuxi: & hodie à Michaele Angelo, aut ex Flandria. Per accidens, vel propter materiam; vt aurea sunt argenteis; hæc ligneis, aut lapideis pretiosiora. Vel propter archetypum, vt cum amici absentis picturam habemus curam: & imperatorum veterum numismata, ab Antiquariis magni fiunt. Nec dubitemus hoc modo præferre Christi Domini imaginem, & Sanctorum: omnibus omnium Imperatorum numismatis. Verum hic honor, siue potius pretium propter archetypum, iis duntaxat imaginibus conuenit, quæ ad viuum sunt. Nam reliquæ improprie dicuntur imagines: nec habent prototypum vllum, præter pictoris audacem φαντασίαν, quæ neminem mouet, nisi qui artem amat. Nam mea quidem quid interest, Christophorus ille dicatur, an Polyphemus, quem non Scipioni, sed arbori fingunt innitentem? Et ille alter cum Dracone pro puella committens prælium, Perseus, an Georgius? Malim quidem Christophorum, & Georgium, si Christophorus sanctus fuit, & Georgius: sed vt ludant me vafri homines pietatis prætextu, hoc vero no tolerabile.

IX. Semel ergo & in vniuersum Catholica sententia definit, Nullas imagines χειροποιήτους, adorandas esse religiose, siue per se, siue per accidens, siue propter se, siue propter aliud: siue proprie, siue improprie.

CAP. V.

An Scripturæ doceant adorandas Imagines.

I. SCripturis abutuntur Papistæ: & Bellarminus triplicem distinguit locorum aciem. Primo, in quibus expresse agitur de Imaginibus. Exodi vigesimo quinto de Cherubinis: & Numerorum vigesimo primo de Serpente æneo. Si Cherubini, & serpens æneus honorabantur; ergo, & imagines Christi & Sanctorum. Probatur antecedens: quia Cherubini erant super Arca: ergo necessario adorabãtur ab iis, qui Arcã adorabant. Hieronymus

ronymus ad Marcellam, ideo dicit Tabernaculum fuisse veneratum à Iudæis; quod ibi erant Cherubini: Iam serpens non poterat non honorari, cũ in loco sublimi à Deo positus fuisset, & salutem miseris in se aspiciẽtibus adferret. Vnde Augustinus libri 3. de Trinitate c. 10. eum numerat in signis, quæ venerationem merentur tanquam religiosa. Denique idem Augustinus libro tertio de Doctrina Christiana, c. 9. docet, signa vtilia diuinitus instituta, veneranda esse; quia honor eorum ad prototypum transit.

II. Respondeo, negari primo consequentiam, non enim bene concluditur à Cherubinis, & serpente, ad imagines: quia illæ non erant imagines. Nihil enim repræsentabant sua exteriori forma; suisve lineamentis. Nam quis è Scripturis docebit quid expresserint Cherubini? Scio diuinasse nonnullos, iis notari Angelos: sed diuinarunt absq; fundamento certe nulla necessitate. Serpens autem, quo iure dicatur imago Christi? At significat Christum. Ita sane; sed non quicquid significat, imago est: quo nos sensu nunc disputamus de Imaginibus: nam imagines metaphoricas nihil moror.

III. Secundo. Antecedens esse falsum: atque adeo improbari à Vasque: qui c. 2. disputationis 106. in 3. Thomæ, ad hoc ipsum argumentum respõdet *figuras in veteri testamento non fuisse ad adorandum expositas.* Sed agam distinctè prius de Cherubinis: tum de Serpente. Ergo Cherubinos nego adoratos fuisse. Et testem do Vasquem c. 6. disp. 104. in tertiam Thomæ, disputantem aduersus Bedam, qui à Cherubinis probabat lege Mosis non fuisse sublatum vsum imaginum. *Respondeo*, inquit, *lege veteri non fuisse vetitam omnem similitudinem, aut effigiem quomodocunquè, sed omnium cultum & adorationem ipsius, atq; adeo omnem quoque imaginem seu effigiem, modò accommodato adorationi erectam, aut constitutam: quare nec Cherubinis, nec aliis figuris in templo factis, aliquem cultum fuisse delatum.* Probat contra Bellarminus. Erant in Arca. At Arca adorabatur: Ergo ipsi adorabantur. Imo, inquam, primò negatur consequentia. Non enim adorabatur, quicquid erat supra Arcam. Alioquin ipsum aurum, ex quo facti erant Cherubini adoratum fuisset, nam erat supra Arcam. Quid autem? Vidi apud Papistas imagunculas diligenter ornatas tum sericis, tum lineis vestibus: & vidi Papistas adorantes eas imagunculas. Dicam-ne apud Papistas adorari vestes? Quid denique? Si forte araneus, & muscæ altaribus insederit, tum araneorum, & muscarum λαῖρωνίς dicam Papistas? Imo meminerint honorem à seipsis æstimari ex intellectu, quum concipitur eius, quod honoratur, excellentia. Itaque, vbi nullus est eius intellectus aut ca tus, aut motus in rem aliquam; tum necesse est nullum esse honorem. Quare si non probat Bellarminus, Iudæos, accedentes ad Arcam adorandi gratia; cogitasse de ipsis Cherubinis adorandis, frustra sumit fuisse in Arca.

IV. Enimuero Hieronymus non vere asseruit Iudæos veneratos esse Sancta Sanctorum, quia ibi essent Cherubini. Nulla id scriptura testatur. Pone tamen factum, quid ad rem? Nam Hieronymus dixit venerari, non dixit adorare. Illud patet longe latius. Quis enim negat venerandos parentes? at non adorandos, saltem Christianus. Et Augustinus signa religiosa dixit venerationem mereri. Cum tamen inter adoranda nemo, quod sciam, numerarit Baptismum. Significauit ergo Hieronymus; fuisse olim Sancta Sanctorum in honore; quomodo scilicet templa ipsa: quorum tamen ne apud Papistas quidem vllum nomen est in Litaniis.

V. Quod attinet ad Augustini signa vtilia: in iis cur numerantur Cherubini? Hoc dicere velim Bellarminum; non sumere. Nam nos in signis Cherubinos esse non putamus: nec putauit Tertullianus, qui ornatus causa factos dicit, contra Marcionem libr. 2. capite 22. *Cherubim & Seraphim*, inquit, *aurea in Arca figuratũ exemplum, certe simplex ornamentum, accommodata suggestui, longe diuersas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinem prohibitarum legi refragari: non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur.* Sensus, Illa facta non ad adorandum, sed ad ornandum: contra quam Bellarminus censet.

VI. Serpentem æneum in Imaginibus numerari non patior: adoratum etiam nego. Nam si imago, cuius, quæso? Certe nullius, nisi alicuius naturalis serpentis: cuius formam habebat. Ergo Iudæi adorassent serpentes: nam vnus est idemque motus in imaginem & archetypum. At hoc quis credat? At significabat Christum. Concedo: sed non qua imago: tantum qua typus. Typi autem nulli eam habent rationem imaginum, de quibus disputamus. Adeoque hic serpens præfigurabat Christum, non qua serpentis lineamenta exhibebat; sed qua suspensus, sanabat à serpentibus istos. Hoc autem nihil ad imaginem. Tertullianus loco iam notato. *Serpentis æuei effigies postea præcepta Moysi à Domino, non ad Idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos, quia serpentibus infestabantur. Et taceo de figura remedij.*

VII. Deinde, vnde habet adoratum? Vasques cap. 5. Disputat. 49. in 3. Thomæ. *Ex Scriptura solum constat propositum fuisse populo aspiciendum: eumque simplex ille aspectus, etiam gratia recipiendi sanitatem, non videatur esse aliqua submissionis nota, non erit dicenda adoratio: nullus vero alius cultus iussu Dei illi exhibebatur: signum ergo est, illum nunquam fuisse adoratum, id quod mihi maxime probabile fit.* Imo, inquit Bellarminus, in loco sublimi positus erat: Ergo non poterat non honorari. Salutem miseris in se aspicientibus adferebat: Ergo non poterat non honorari. Respondeo: primo illud *honorari*, vocabulum est nimis late patens. Significat enim magni facere, & in pretio habere: quomodo Catholici consentiunt omnia sacra in honore habenda. Sed quæritur de alio honoris genere, vt sæpe admonuimus. Iam vero negamus serpentem fuisse hoc modo honoratum; siue, vt distinctius loquamur, adoratum. Nam neque vllum fuit eã de re præceptum Dei; qui nihil aliud jussit nisi aspici. Vasques eodem loco. *Iussit Deus eos erectos & stantes absque vlla submissionis nota, & adoratione in ipsum aspicere, vt tota animi reuerentia in Deum autorem illius ferretur: Nullam vero corporalem adorationem aut submissionis notam in eum dirigerent.* Neque fuit in loco Sancto, id est, in Tabernaculo constitutum & deniq; quum adorari cœpit, contritum est, & anathemate damnatum. Argumenta autem sunt ridicula. Non enim omnia, quæ in sublimi loco constituuntur, adorantur: alioquin etiam ambo latrones cum Christo crucifixi fuissent adorandi: neque omnia, quæ salutem adferunt corpoream, adoranda sunt: alioquin infinitæ stirpes essent adorandæ: adorandi Medici & adoranda piscina, quæ in Siloe. Quæ absurda sunt.

VIII. Secundus Bellarmini impetus ex Scriptura; est ab iis locis, quæ docent, creaturas honorandas religiose propter solam relationem ad Deum. Psalmo 99. *Adorate scabellum pedum eius.* Matthæi 5. *Nolite iurare per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius.* Vbi notat, juramentum esse actum religionis, quo honoratur primario Deus, secundario id per q; juratur. Prohibere ergo Deum juramenta sine debitis circunstantiis, per cœlum & terram, ne contumelia fiat eiusmodi creaturis, quatenus relationem habent ad Deum. Sed similem relationem habent imagines: Igitur eadem ratione colendæ sunt.

IX. Respondeo; primo: hoc argumentum non posse vniuersaliter concludere de imaginibus: Sed duntaxat de imaginibus Dei. Nam hæ solæ dici possent habere quandam relationem ad Deum: cum reliquæ relationem habeant ad creaturas. Porro Imagines Dei jam constat in vniuersum esse prohibitas. Nulla autem ratio, quantumuis verisimilis, efficax est contra legem. Secundo; falsam est imagines habere ad Deum similem relationem vt terram, & cœlum. Nam si haberent, tum vel ex natura, vel institutione. Ast imagines naturalem nullam habent cum Deo connexionem, aut relationem: si quam habent vero: ex institutione, ea institutio est humana tantum. Diuina enim esse nequit; cuius nullum præceptum est à Deo, contra potius prohibitio. At relationem ex humana institutione; quis æquet relationi ex diuina voluntate? Itaque argumenti nulla vis est.

X. Rursus sumitur falsum, in vtroque loco citato. Nam primum Psalmo 99. non præcipitur adorari Arca. Probatur primo ex ipso contextu: secundo ex Veteribus. Hebraicè sic legitur, השתחוו להדום רגליו קדוש הוא. Ea verba Latinus interpres vulgaris vertit, *adorate scabellum pedum eius, quia sanctum est.* Et Septuaginta, προσκυνεῖτε τὸν ὑποπόδιον τῶν ποδῶν αὐτοῦ, ὅτι ἅγιός ἐστι. Hieronymus similiter. Paginus etiam: *Incuruate vos scabello pedum eius: quia sanctum est.* At nihil necesse est. Nam Munsterus reddit, *Incuruate vos ante scabellum pedum eius: Sanctum enim est.* Leo Iudæ, *Prosternite vos ad scabellum pedum ipsius: Sanctus enim est.* Vatablus in annotationibus minoribus. *Id est, in templo, vel ante arcam, in qua præsentiam suam exhibebat Deus.* Iam olim et Paraphrastes Chaldæus. *Adorate in Domo Sanctuarij eius: S. est.* Quẽ sensum sequuti sunt Iansenius in Paraphrasi, & ipse Lorinus. Et sane eodem ipso Psalmo; cum legas השתחוו להר קדשו phrasi simili: tũ & 70. προσκυνεῖτε εἰς ὄρος ἅγιον αὐτοῦ: & Latinus: *Adorate in monte sancto eius.* Vt manifeste mentitus sit Lorinus; qui notauit hanc phrasin nunquam occurrere ad designandum adorationis locum, sed tantum rem adoratam. Psalmo 132: נשתחוה להדם רגליו: Græcè: προσκυνήσομεν εἰς τὸν τόπον οὗ ἔστησαν οἱ πόδες αὐτοῦ. Latinè. *Adoremus in loco vbi steterunt pedes eius.* Imo Genebardus ad hunc locum citatum à Bellarmino, *Quasi dicat, coram scabello pedum eius procidite: quasi ante pedes eius prostrati.* Nulla igitur jam vis est argumenti ex ambiguo. Nam etsi eadem phrasi dicatur לא תשתחוה להם Exodi 20. *non adorabis illa*: & alibi sæpe: tamen non propterea vbicunque eã occurrit phrasis, similiter exponenda: Nec dicendum, Adorate montem sanctum eius: sed ad montem. Et hoc loco diserte Lyranus. *Id est, ante scabellum pedum eius.*

XI. Secundo ex hoc ipso loco, nemo Veterum collegerat, Arcam adorandam. Quin potius plerique omnes humanitatem Christi interpretantur. Augustinus enim scabellum pedum Dei, intelligit terram, Esaiæ 66. *Ergo*, inquit, *terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco, quod sit scabellum pedum Dei? Et quomodo adorabimus terram, quum dicat aperte Scriptura, Dominum Deum tuum adorabis: & hic dicit, Adorate scabellum pedum eius: Exponens autem mihi quid sit scabellum pedum eius, dicit, Terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum: timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum & terram. Rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei; quia Psalmus mihi dicit, Adorate scabellum pedum eius. Quæro quid sit, scabellum pedum eius, & dicit mihi Scriptura, Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans conuerto me ad Christum: quia ipsum quæro hic: & inuenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est; & de carne Mariæ carnem cepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit: inuentum est, quemadmodum adoratur tale scabellum pedum domini, & non solum non peccemus adorando; sed etiam peccemus non adorando.* Augustinum deinceps sequuntur Latini. Autor eorum commentariorum quæ tribuuntur Hieronymo: & Lombardus: ac Dionysius Rickel. Franciscus de Puteo. *Hieronymus, Augustinus, Cassiodorus, Glossa, id est, corpus Christi, quod de Maria virgine assumpsit, in quo maiestas diuinitatis tanquam super scabellum stat.*

XII. Atque hinc hæc sese offerunt notanda. Primum. Totam terram dici scabellum pedum Dei. Si igitur juxta Bellarminum, ex scabello pedum Dei concluditur relatio ad Deum: profecto vniuersa terra habebit relationem ad Deum. Rursus autem, si quæcunque habent relationem ad Deum, adoranda sunt: Ergo vniuersa terra erit adoranda. Quod si est absurdum, imo si diserte & cum horrore negatur ab Augustino: Ergo id potius verum est; non esse adoranda quæ habent eam relationem ad Deum. Præterea; quis fuerit vsus Ecclesiæ seculo Augustini, facile perspicitur. Nam si imagines, aut reliquiæ adorarentur, tum nihil difficile fuisset Augustino: quomodo ne hodie quidem Papistis. Neq; solum illi occurrisset corpus Christi. Denique Bellarminus non argumentabatur à carne Christi: at Augustini judicio, hic locus Psalmi prophetat de carne Christi: non ergo de imaginibus.

XIII. Alter locus æquè torquetur. Nam in eo nullæ creaturæ docentur coli religiose: sed omnino iurare per eas prohibetur. Locus habet in hunc modum, *Audistis dictum fuisse veteribus: Nõ peierabis: sed reddes Domino quæ tu iurauerit. Ego vero dico vobis, ne iuretis omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius; neq; per Hierosolymam, quia vrbs est magni regis: neque per caput tuum iures: quia non potes vnum capillum album aut nigrum facere.* Hic vero, quid est, quæso, quod honorem religiosum significet creaturis delatum? An illud, *ne iuretis omnino*? Itane? At qui prohibetur iurari non tantum per cœlum, & per terram, sed etiam per Hierosolymam. Nouum dogma Christianum, religiose coli aliquam ciuitatem. Sed quid? quod idem de capite? An vero quemque Christianum dicimus iuberi suum ipsius caput religiose colere,

& ho

& honorare? Vt sensus sit? Nemo iuret per caput suum; id est, quisque caput suum religiose honoret. Mirum Iesuitæ μηχάνημα. Quin potius illud, *prohibet Deus iurare sine debitis circunstantiis per cœlum & terram, ne contumelia fiat huiusmodi creaturis*; illud, inquam, Bellarmini commentum est: nam contra credunt Catholici omnino prohiberi juramenta per cœlum & terram; ne ad eas creaturas deferatur cultus religiosus; actus latriæ. Thomas in Cathena ad hunc locum. *Considera quod hic Saluator non per Deum iurare prohibuit: sed per cœlum & terram, & per Hierosolymam; & per caput tuum: hanc enim per elementa iurandi pessimam consuetudinem semper habere Iudæi noscuntur: qui autem iurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem iurat. Iudæi autem per Angelos, & vrbem Hierusalem, & templum, & elementa iurantes, creaturas venerabantur Dei honore: cum in lege præceptum sit, vt non iuremus nisi per Dominum Deum nostrum.* Ante hunc Veteres: Hilarius Canone quarto. *Hæc sacramentorum pignora plena, apud eos piaculi fuisse demonstrat: cum ignorato aut neglecto opifice, religionem operibus impertirentur.*

XIV. Tertius Bellarmini conatus, ex iis testimoniis, quæ docent creaturas dici sacras, vel sanctas, propter relationem ad res sacras. Exodi tertio. *Locus in quo stas, terra sancta est*: propter Angeli præsentiam. Exodi duodecimo dicitur dies Paschæ, dies sanctus & venerabilis, propter significationem; & quia dedicatus erat cultui diuino. Exodi vigesimo octauo, dicuntur vestes Sacerdotum sanctæ propter eandem causam. Isaiæ vndecimo, sepulchrum Christi gloriosum. Posterioris ad Timotheum tertio, Scripturæ sacræ, literæ. quia signa sunt sacrarum rerum. Atque adeo non solum literas, sed etiam verba ipsa prolata, venerari solent, præsertim nomen Iesus: atque Euangelium à stantibus auditur, & quidem luminibus accensis, quamuis meridie. Porro rem Sanctam esse venerabilem, hoc ipso quod Sancta est; probatur Exodi 12. *Dies prima erit Sancta: & septima eadem religione venerabilis.* Vbi pro eodem est, res Sancta & religiose venerabilis.

XV. Respondeo, negando quicquid Sanctum est; etiam religiose colendum esse. Nam & Aaron sacer erat, siue Sanctus: similiterq; omnes sacerdotes: nec tamen aut hi, aut ille, colendi cultu religioso: atque adeo nunquam eos sic Israelitæ coluerunt, siue viuos, siue mortuos. Multo minus, eorum vestes; quantumuis dicantur sacræ, siue Sanctæ. Neque ipsam sane diem sabbati, quisquam veneratus est. Cæterum locus Exodi 12. est à veteri Interprete corruptus. Hebraica veritas habet, *Et in primo die conuocatio Sancta; & in die septimo, conuocatio Sancta erit vobis.* Non ergo Moses pro eodem scripsit, Sanctum, & religione venerabilem. Sed Latinus interpres: cuius autoritas, quanta quanta sit, at diuina esse nullo modo potest. Quanquam concedo; posse commodum sensum eius interpretationis aliquem dari, sed hunc Bellarmini non posse. Quanquam etiam Bellarminus religione venerabilem dixit de suo; pro festiuitate venerabilem, quod Interpres dixit. Enimuero res sacras. Catholici concedunt longe præferendas prophanis; & tractandas religiosius; hoc est sic, vt appareat eas religioni destinatas; sed ipsas illas res coli religioso cultu, hoc vero nunquam concedent.

XVI. Denique Imagines, de quibus quæstio hæc nostra est instituta: has, inquam, imagines, sacras nemo vnquam appellauit, præter vel manifeste idololatras, vel certe nimium jam deflectentes à sinceritate Christiana. Imo ipsæ etiam institutæ sunt ad significandas, & repræsentandas res sacras: inquit Bellarminus. A quo autem institutæ, inquam? A Deo, an ab homine? Nam; si à Deo, fatebor esse sacras. Sed hæc petitio erit principij: negant enim Catholici à Deo esse institutas. Sin autem ab homine, tum vero negant propterea esse sacras. Nam & tricipites imagines; siue trifrontes Bellarminus negat esse Sanctas; quanquam ab hominibus institutas ad significandam Trinitatem, rem sane sacram.

CAP. VI.

An rationibus probetur adorandum imagines.

I. POst Scripturæ locos, ratiunculas Bellarminus colligit quas potest; & vndecunque potest. Primam à simili, hoc modo: Homo dignus est veneratione; quia imago Dei est: Ergo & cæteræ imagines Christi, vel Sanctorum, dignæ sunt veneratione: quod enim vni imagini conuenit, quia imago est; id necessario omnibus imaginibus conuenit. Probatur autem hominem esse venerabilem, quatenus est imago Dei, ex Cyrilli Hierosolymitani catechesi 10. Et Augustini epist. 203.

II. Respondeo, negari consequentiam. Non enim idem esse imaginem Dei, & Imaginem Christi, siue vllius Sancti. Illa enim est, ἀχειροποίητος; hæc vero humani artificij opus. Itaque ne homines quidem sic honorant feruas apud se repositas, vt liberos suos.

III. Nec probatur consequentia: Etsi enim verum, id omnibus imaginibus conuenire; quod vni conuenit, quia est imago: tamen non est verum omnibus imaginibus eum honorem deberi, qui debetur homini. Alioquin nõ Sanctorum tantum, sed etiam omnium hominum, Cęsaris, Augusti, Herodis, Iudæ imagines essent venerandæ; tam enim sunt imagines, quam quę Pauli, & Petri, Virginis matris, & reliquæ. Eademque ratione, Tricipites, Trifrontesque illæ Trinitatis imagines, quas tamen ne pingi quidem vult Bellarminus; inter venerabiles essent numerandæ. Denique, cum ipsi Papistæ asserant quibusdam imaginibus deberi latriam: non autem omnibus: hoc ipso latis eneruant hanc consequentiam: docentes non conuenire omnibus imaginibus, quicquid vni conuenit.

IV. Sed mihi potior Augustinus Epistola centesima decima nona, habere quidẽ Deum imagines, sed Dei nullam imaginem coli debere; nisi illam quę hoc est quod ipse. Peccatum est à Bellarmino multipliciter. Primo, intelligendum axioma, de imaginibus homogeneis: quasi dictum; quod vni conuenit imagini, quia imago est, id omnibus conuenit imaginibus, quæ sub eandem cadunt imaginis definitionem. Quomodo si dicam, quod vni homini conuenit, quia homo est, id ipsum conuenire omnibus hominibus: nemo tam bardus erit, qui in priori parte hominem concipiens in Categoria substantiæ, in altera imaginetur hominem in Categoria accidentis, videlicet pictum. Et si dicat quis, omnibus Tauris conuenire, quicquid vni Tauro, quia Taurus est: tamen clamabit iniuriam fieri, si quis inde concludat Taurum montem mugire; æquè cum Tauro animali. Nec vrsas in montibus errantes naturæ sic obseruant, vt quas circa polum intuentur. Ast ego nego eadem imaginis definitione hominem dici Dei imaginem; & Christi, velum aliquod variis coloribus incrustatum.

V. Deinde falsum homini honorem deberi, quia imago est: sed quia imago Dei. At non omnis imago est imago Dei. Quomodo autem verum omnibus imaginibus deberi, quidquid vni debetur, quia imago est: Sic etiam certum; nullis aliis imaginibus conuenire, id quod imagini Dei conuenit, quia imago est Dei: Quomodo specificæ differentiæ falso prædicantur de genere. Ast ego nego præter rationalem, vllam esse imaginem Dei creatam. Vnde sequitur nulli imagini deberi cultum, honoremve aut venerationem, contra quam Bellarminus disputabat.

VI. Enimuero, quod Bellarminus ait argumentum procedere à simili proportione: quia vt se homo habet ad Deum, cuius est imago: ita pictura ad Christum, cuius est imago. Hoc vero nihili est: quia hoc quicquid est proportionis est fictum: omnino enim aliter habet se imago ad Christum, quam homo ad Deum: quia, vt dixi, imagines dicuntur ὁμωνύμως tantum. Præterea, etsi concedatur nonnulla proportio: tamen illa hominis ab Deum, est ab ipso Deo: hæc autem picturæ ad Christum, non est nisi ab homine: vnde, illa substantialis est: hæc vero accidentaria. Nam omnis pictura est accidens tantum. Et vero, indignum eodem loco censeri substantias, cum accidentibus. & opera Dei cum operibus hominum.

VII. Tertium peccatum est; quia nullus homo quantumuis imago Dei, honoratur eodem honore quo Deus: nullus, inquam, religioso cultu colitur. At Papistæ eodem cultu coli volunt imaginem, & prototypum. Itaque, imagines Dei, latria: imagines Virginis, hyperdulia: imagines Sanctorum, dulia. At homines, qua sunt imagines Dei omnes, non coluntur tamen religiose, sed ciuiliter. Atqui, inquit Bellarminus, licet homo, vt Rex, vel Imperator, honoretur ciuiliter, tamen homo, vt imago Dei, honoratur religiose. Sed hoc falsum, vt reliqua. Nam si homo, quatenus imago est Dei, honoretetur religiose: Ergo Iscariotes, honoraretur religiose.

VIII. Secunda ratio Bellarmini, rursus à simili. Imago Regis est venerabilis ciuili quodam honore: Ergo imagines Christi, & sanctorum sunt honorabiles cultu religioso. Probat antecedens: quia Iulianus Apostata dicitur à Nazianzeno curasse se depingendum inter Iouem, Martem, & Mercurium: vt Christianos de more adorantes suam imaginem, cogeret hoc stratagemate ad idola adoranda. Nazianzenus oratione prima in Iulianum.

IX. Respondeo negari consequentiam. Nam imagines Regis sua natura nullo sunt honore dignæ: sed tantum ex instituto; id est, mandato Regis: Itaq; apud omnes populos nõ obtinuit. Nazianzenus, Νόμος ἐστὶ βασιλικὸς, οὐκ οἶδα μὴ εἰ καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὡσαύτως ἔσοις τὸ βασιλεύειν. Ῥωμαίοις γὰρ καὶ τῶν πάλαι σπουδαζομένων, εἰκόσι δημοσίαις τιμᾶσθαι τοὺς βασιλεύοντας. οὐ γὰρ ἐξαρκοῦσιν οἱ πορφυροῖ καὶ τὰ διαδήματα, καὶ τὸ τῆς αὐλουργίδος αὐθέν. οἱ τὰ δεδιωγμένοι νόμοι καὶ φόβοι, καὶ τὸ τῶν δεχομένων πλῆθος, συνεργοῦσι τὴν τάξιν τῶν βασιλείων. ἀλλὰ δεῖ καὶ προσκυνήσεως αὐτοῖς, ὑφ' ἧς σεμνότεροι δόξουσιν, οὐχ ἵνα αὐτοὶ προσκυνῶνται μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς εὐπαιδευσίας καὶ χρώμασιν, ἵν' ἡ τὸ εἶδος αὐτοῖς ἀπηνεστέρον τε καὶ πελειόπτερον. Hæc ego sic verto: non enim satisfecit Billius. *Lex est imperatoria: nec scio vtrum apud omnes gentes, in quibus regnum est: saltem apud Romanos, & quidem inter primas studiose obseruanda; imaginibus publicis Imperatores honorare. Non enim sufficiunt corona, & diademata, nitensve purpura: aut numerosæ leges, ac tributa, subditorumque multitudo, ad imperium ipsis confirmandum. Quin adoratione opus est; vt augustiores appareant: nec qua ipsi tantum adorentur: sed quæ ipsis figmentis, coloribusque præstetur; quo vastior sit ipsis perfectiorq; veneratio.* Tria vno spiritu nos Gregorius docet. Primo, id moris esse à lege imperatoria. Secundo, non esse vniuersale. Tertio, ab inexplebili fastu Imperatorum. Adde Peresium Papistam. *Nec aliquis vnquam vidit, nisi tyranni alicuius forte coactione interuenięte, quod eadem veneratione veneretur imago ipsius, qua ipse Rex, aut Imperator.* Hæc cum ita sint, apparet infirmitas argumenti. Nam quum imagines sua natura nullum cultum mereantur; certe si aliquis eis deferatur, eum oportet esse ex instituto. Et quidem non quolibet, sed legitimo. At in Ecclesia nullum est eiusmodi. Neque enim Imperator Ecclesiæ sanciuit: quin potius seuerissime prohibuit. Qui autem postea sanciuerunt, eis non fuit legitima autoritas. Quis enim in Imperio contra Imperatoris ipsius leges quicquam possit legitime.

X. Tertia ratio. Imago est capax iniuriæ & contumeliæ: Ergo & honoris ac cultus. Probatur antecedens. Eusebius c. 10. lib. 9. Historiæ, scribit in dedecus Maximini, imagines eius fuisse vel deiectas, vel atris coloribus fœdatas: quod idem Suetonius scripsit de imaginibus Domitiani. Theodosius ægerrime tulit imaginem vxoris suæ deiectam apud Antiochenos: apud Chrysostomum oratione secunda & tertia ad populum Antiochenum; & Theodoretum Historiæ libro quinto, capite decimo nono. Iulianus Apostata, Christi statuam deiecit, substituta sua: quod non esset factum, nisi eo modo, Christo iniuriam fieri credidisset: neque Deus statuam Iuliani fulmine percussisset, nisi ab eo iniuriam accepisset.

XI. Respondeo, primo nihil concludi. Neque enim sequitur adorandum esse quicquid est capax honoris & cultus. Alioquin ipsi Diaboli essent adorandi: quicunque infideles. Secundo: negatur antecedens. Et contra potius; nulla imago capax est honoris & cultus: Ergo neque iniuriæ aut contumeliæ. Probatur antecedens: quia honoris ratio formalis sumitur ab animi honorem deferentis voluntate, teste ipso Bellarmino. At quicquid animam rationalem possidet; longe præcellit τὸ ἄλογα; multo magis τὰ ἄψυχα. Honor autem est agnitio præcellentis. Itaque, Imagines quum sint non irrationales tantum, sed etiam inanimes; ac proinde longe infra hominem, non sunt capaces honoris, siue cultus ab homine exhibiti. Itaque, Clemens Protreptico. ἀναισθήτου λίθου καὶ ξύλου, καὶ χρυσίου, καὶ ἀργύρου, οὗ ὅπ ἂν μέλει ἐκ κτίσεως, ἐκ αἵματος, ἐκ καπνοῦ, οὗ δὲ πυθμένος ἐστὶ ἀπροσπέρα ζώου, τὰ ἀγάλματα. *Insensibili lapidi, & ligno & aurodiuiti, nulla cura est incensus, sanguinis aut fumi, (quin potius cũ eo honorãtur, obscurãtur) neq; honoris, aut cõtumeliæ. Quinetiã statuæ sunt infra quodlibet animal.*

Minu-

Minutius, *Nec sentit sua natiuitatis iniuriam: ita vt nec postea de vestra veneratione culturam.*

XII. Suum vero antecedens Bellarminus non probat. Nam quæ ille profert, nihil eiusmodi concludunt. Enimuero id lego, Maximini statuas, ac Domitiani, Placillæque deiectas, ludibrioque habitas: sed ipsas eius ignominiæ capaces fuisse nusquam lego. Hoc potius apud Suetonium, *Senatus adeo lætatus est, vt repleta certatim curia, non temperaret, quin mortuum cõtumeliosissimo, atque acerbissimo acclamationum genere laceraret: scalas etiam inferri, clypeosque & imagines eius coram detrahi; & ibidem solo affligi iuberet.* Hic lego statuas capaces fuisse deiectionis: sed contumelias, lego iactatas in defunctum. Apud Eusebium similiter de Maximino, γραφαὶ ἔσαν εἰς ὕψος αὐτῷ καὶ τῶν αὐτῷ παιδῶν κατὰ πᾶσαν οἰκουμένην πόλιν, αἳ μὲν ἐξ ὕψους εἰς ἔδαφος ῥιπτούμεναι συνετρίβοντο. αἱ δὲ τὰς προσόψεις ἠκρωτηριάζοντο σκολιοῖς χρώματι καὶ μελανόμενα· οὐδενός τινος τε ὁμοίως ὁ πόσοι εἰς τὸν αὐτοῦ τιμὸν ἀφιερώκεσαν, ὡσαύτως ῥιπτούμενοι συνετρίβοντο, γέλως καὶ παιδιὰ τοῖς ἐνυβρίζειν, καὶ ἐμπροσθεῖν ἐθέλουσιν ἐκκείμενοι. *Pictura quæcunque in eius honorem, filiorumque tota vrbe prostabant, ex alto in solum eiecta confractaq; sunt alia: alia faciem fœdata, atroque colore denigrata. Quin & statuæ, quæcunque in eius honorem fuerant constitutæ, similiter proiectæ conterebantur: risus, ludibriumque omnium qui insultare vellent, & immodeste agere.* Apud Theodoretum de Placilla, ὁ δῆμος τὸν καλλοῦς εἰκόνα τῆς πανεύφημου Πλακίλλης, κατήσσυκε τε καὶ ἐπὶ πολὺ τῆς πόλεως κατέσυρε μέρος, *Populus Antiochenus æneam Placillæ imaginem deiecit, & rapuit magna vrbis parte.* Hic ego quid audio, præter deiectionem, raptationem, fœdationem, quod ad imagines statuasque pertineat? Sed ea facta in contumeliam, fateor: at non ipsarum imaginum: quin potius Maximini, & Placillæ: in quorum honorem fuisse dicuntur erectæ.

XIII. Nec aliud iudicium de Christi imagine in Paneade. Sozomeni testimonium hac de re sic habet: Iulianus, cum comperisset in Cæsarea Philippi, quam Paneadem appellant, statuam esse Christo insignem, quam illa Hæmorroissa morbo liberata erexerat: hac ablata, suam statuit. Ignis cœlo decidens, eam ad pectus secuit: caputque cum collo deiecit, & in terra fixit. Ex qua narratione statuam audio capacem sectionis, deiectionisque fuisse, potuisse etiam in terra defigi. Sed ipsam aut honoris, aut decoris capacem nusquam lego. At non fecisset Iulianus, nisi iniuriam Christo fieri credidisset. Imo potius, inquam, nisi iniuriam Christo facere ipse voluisset. At nunc de Christi iniuria quæstio nulla: sed de imaginum.

XIV. Quarta ratio. Idola Gentium merito exsecramur, & confringimus: Igitur è contrario imagines Christi & Sanctorum, honorabiles sunt. Probatur antecedens: quia laudatur valde Theodosius, quod iusserit idola, vbique destrui? teste Theodoreto libri 5. historiæ 20. Probatur consequentia; quia id non sit, nisi ratione significationis, quod sint imagines falsorum deorum. At imagines Christi & Sanctorum, res vere bonas, & Sanctas significant.

XV. Negatur consequentia. Non enim destruebantur idola, quia res malas significent: sed quia adorarentur. Hoc patet. Tum, quia imagines etiam significantes res bonas destructæ sunt, vt probatur ex serpente æneo. Tum, quia imagines significantes res malas non destruuntur: vt patet tum apud Papistas, qui imagines Diaboli Georgio, & Martino adpictas non destruunt. Tum apud omnes Christianos; qui Iouis, Veneris, Martis aliorumque Ethnicorum Deorum libere vident, habentque hodie, cum desierunt coli. Olim Epiphanius velum conscidit, in quo erat imago siue Christi, siue alterius Sancti. Sic Serenus Massiliensis fregit imagines Sanctorum, quas vidit adorari. Quid? quod ne Bellarminus quidem tolerandas censet imagines τριεφάλους, καὶ τριπροσώπους, rem Sanctissimam significantes, id est, Trinitatem? Denique Deus proh buit coli imagines eorum, quæ sunt in cœlo. Ergo quamuis Ethnicorum idola confringenda sint: tamen non sunt adorandæ imagines Sanctorum. Imo, quia imagines Ethnicorum destruuntur: propterea quod adorantur: Ergo imagines Sanctorum destruendæ sunt; si adorentur.

XVI. Quinta ratio; à miraculis. Deus enim per imagines Christi & Sanctorum multa miracula operatur. Ergo placet illi, vt imagines honorentur. Probatur antecedens. Nam Eusebius c. 14. lib. 7. historiæ testatur ex basi statuæ Christi æneæ ab Hæmorroissa positæ, herbam omnibus incognitam ortam, quæ vbi creuisset vsq; ad fimbriam imaginis vim habebat depellendi omnes morbos. Sozomenus addit statuam Iuliani eius loco positam, igne tactam de cœlo. Et multa præterea.

XVII. Negatur consequentia. Nam sæpe Deus miracula edit per eas res, quas tamen adoratas nunquam esse constat. Sic olim miraculum magnum edidit, per Gedeonis tubas & lagenas: Nec vnquam auditũ, ab Israelitis adoratas tubas, lagenasq;. Et per Iordanis aquas lepra Nahamanis curata: nec Iordanes tamen adoratus: & luto facto cæcus sanatus: nec lutum tamen adoratum. Denique per homines malos nonnunquam Deus miracula facit: qui tamen non sunt adorandi.

XVIII. Instat Bellarminus: Spectandum finem. Nam quod miraculum confirmatur, id Dei testimonium habet. At aqua Iordanis, & lutum non adhibebantur; vt honorarentur: sed vt ostenderent Hælisæum esse Prophetam Dei: & Christum verum Dei filium. Mali miraculis non vitam suam commendant, sed fidem. At miracula per imagines facta sunt ideo vt probarent ac sancirent imaginum cultum. Hoc probatur Nam cur ignis cœlestis discerpsit statuam Iuliani, nisi vt vindicaret iniuriam factam statuæ Christi? Præterea cur beneficia per imagines à Deo conferuntur illis duntaxat, qui imagines honorant? At miraculum factum Edessæ per imaginem Christi, refert Euagrius lib. 4. cap. 6. in salutem eorum, qui Christi imaginem venerabantur. Et Zonaras in Michaele Balbo, refert Leonis Armeni filium mutum accedentem ad imaginem Gregorij Nazianzeni, loquendi vsum miraculo recepisse.

XVIII. Respondeo: primo: male ergo argumentatum esse Bellarminũ, simpliciter à miraculis factis per imagines. Secundo, nunc quum argumentum corrigitur ita: Si per imagines Deus multa miracula operatur ad confirmandam venerationem imaginũ: Ergo imagines sunt venerandæ. Nunc, inquam, negatur antecedens. Nunquã, enim Deus vllum miraculum fecit, vt stabiliret imaginũ adorationem Ratio certa: quia nunquam id Deus confirmat, quod diserte prohibuit. Ad exempla respondeo: etiamsi causas sigillatim reddere nequeamus; tamen hanc, quam Papistæ obtendunt, non esse veram. Et tamen in imagine Iuliani non esse obscuram: nempe quia voluerit jam tum Deus præsagire Apostatæ certum exitium. Ac sane nemo Veterum eam Christi imaginem dixit adoratam fuisse. Reliqua exempla, vt alia plurima, vel omnino ficta esse: vt certum est, recentiores, Euagrium, Nicephorũ, alios, multa absq; judicio retulisse in scripta. Vel si facta sunt, & in eum finẽ: ab eo esse facta: qui etiam electos, si fieri posset, decepturus prædicitur. Denique solis miraculis; absque Scripturarum testimonio, nullum dogma confirmatur apud Christianos: multo sane minus contra Verbum Dei.

XX. Sexta ratio: ab Improbitate Iconomachorum: & pietate eorum, qui imagines colunt, & coluerunt. Iconomachi fuerunt omnes aut Iudæi, aut Samaritani, aut Mochometani, aut Necromantici, aut manifeste hæretici. At qui defenderunt imagines, Sancti & docti, Gregorius, Hadrianus Romani Pontifices. Germanus & Tarasius Constantinopolitani: Damascenus, Methodius, Leontus. Non est autem credibile, Deum per hostes suos potius, quam per amicos & Sanctos Ecclesiam docere voluisse.

XXI. Respondeo: prima Sanctitatem dogmatum non pendere à Sanctitate eorum à quibus prædicantur: sed ab autoritate Dei mandantis. Sic in medio suo clero non negant Papistę infinitos esse scelerato: imo in Pontificum suorum serie, non esse nulla monstra coguntur fateri: quorũ tamen viro suam doctrinã nolint suspectam fieri. Sic aliquando ipsi Diaboli, Christum pronunciarunt esse filium Dei. Contra, non potest à vitæ Sanctitate vllum momentum addi doctrinæ nouæ, & præter verbum Dei. Alioquin inepte Paulus anathema pronunciasset in Angelos, in seipsum: in alios, si aliud Euangelium prędicarent. Itaque argumenti nulla hic vis est.

XXII. Secundo omnes Iconomachos fuisse aut Iudæos, aut Samaritanos, aut Mahometanos, aut Necromanticos, aut hęreticos, falso asserit Bellarminus. Nam primus Iconomachus, Deus est; qui diserte vetuit vllam adorari imaginẽ rei vllius siue in cœlo, siue in terra, siue sub terra. Post Deum omnes Apostoli, vt Paulus, qui Gentibus exprobrat Deum transformarum in imaginem hominis: vt Ioannes, qui cauendum monet non ab idololatria tantum, sed etiam ab Idolis. Sic deinceps Catholici, vt postea docebimus: & nostris temporibus, omnes Catholici; qui ab hæresi Papistica cum alias; tum hanc ob causam discesserunt. Cæterum quibus conuitiis soliti sint οἱ εἰκονομαχεῖς onerare Catholicos ab imaginum cultum adhorrentes, vt non ignoramus, sic floccifacimus: habemus vtrique tribunal, coram quo nos sisti oportet: ibique suorum innocentiam potentissime Deum protecturum scimus. Enimuero Leonem Armenum, quibus non maledictis proscindunt? Et tamen excepto vno odio imaginum, reliqua in eo laudabantur. Et vigilantia in republica constituenda; & in flagitiosos seueritas. Deniq; Nicephorus Patriarcha, quamuis ab eo pulsus sede, testatus est eo mortuo Remp. Romanam quamuis impio, magno certe pręside orbatam. Id scripsit Cedrenus.

XXIII. Tertio, eos qui cultum imaginum propugnauerunt, negamus vnquam fuisse pios. Nam vt cætera desint argumenta; certe hæc ipsa eius cultus propugnatio; non potest non esse impia: quia contra disertam Dei legem. Et Petrus εἰδωλολατρείας dixit esse ἀφιμίτους; prioris capite 4. Tum autem reipsa constat primos, qui Imaginum vsum apud Christianos vsurparunt, fuisse Simonianos, Carpocratianos. Quinetiam, quæ pręcipuam nauauit operam imaginibus restituendis. Irene: ea fuit scelestissima mulier: quæ tyrannidis œstro percita, proprio filio oculos eruit; eiusq; thronum vsurpauit. Denique si Paparum scelera enumerem: ab eo tempore, quo imaginibus seruierunt; prolixus sim. Sed id alibi factum, in quæstione de Antichristo. Et hodie Papistarum quam sancta est vita? Supersedeo dicere: nam me tacente, vident omnes.

XXIV. Septima ratio, ab infelici exitu Iconomachorum: & felicitate eorum, qui imagines defenderunt. Nam quum tempore Leonis Imperatoris imagines in foro Constantinopolitano crematæ essent, pestilentia grauissima est exorta: teste Chronico Palmerij anno 741. Eandemque ab caussam idem Leo, successoresq; eius, amiserunt Imperium Italiæ: teste Zonara, & Paulo Diacono. Eodem tempore Ezides Rex Arabum post imagines cõfractas, vixit annum non integrum: quamuis promissi fuissent triginta. Regnante Copronymo inauditæ calamitates Orientem inuaserunt, vt terræ motus, & pestis accedentibus crucis signis in vestibus: item frigora, niues, siccitates. Teste Diacono. Imperator ipse ita periit, vt clamaret se etiam viuum traditum igni inextinguibili. At contra Pipinus, & Carolus, qui cum Romano Pontifice imagines defendebant, ad regnum & Imperium prouecti felicissime vixerunt.

XXV. Respondeo primo ab his notis nullam pendere confirmationem doctrinę. Nam & Ethnici olim iisdem argumentis religionem Christianam oppugnabant, vt prolixe videre est apud Paulum Orosium; apud Arnobiũ, atque alios. Notabant enim diligentissime immanes calamitates, quæ irruebant in Imperium Romanum: maxime Gothorum illud diluuium, cui obsisti non poterat: & à quo initium cæpit inclinationis; vnde emergere nunquam potuit Imperium. Præterea miserrimum statum huius vitæ, quis non poterat Christianis exprobrare, ante Constantinum; quem quicumq; præcesserant Episcopi Romani, omnes martyrio periere? Deniq; Dominus Lucæ 13. *Putatis hos Galilæos, præ omnibus Galilæis peccatores fuisse, quoniam talia passi sunt? Aut illos decem & octo supra quos cecidit Turris in Siloe, & trucidauit eos putatis debitores fuisse præ omnibus hominibus qui habitabant in Hierusalem?*

XXVI. Secundo; non hoc tantum de imaginibus in illis Imperatoribus reprehendunt historici: sed alia etiam multa, & quidem grauissima. In Constantino Copronymo Cedrenus, μαγείας, ἀσελγείας, δαιμόνων ἐπικλήσεις, ἀστραλάγων ἀναπομπὰς, καὶ ἄλλα πονηρὰ ἐπιτηδεύματα. Quæ singula crimina magna sunt. In Leone Armeno crudelitas damnatur: narratque Cedrenus Virginẽ Deiparam in somnis apparuisse matri eius Leonis, dixisseque, *Cur filius tuus non desinit se multo cruore opplere, eoq; me & Filium Deum meũ irritare:*

XXVII. Tertio, hac quidẽ parte nihil est quod Iconomachis valde exprobrent Iconolatræ: Nam & Copronymus feliciter imperauit. Et Michael Balbus: & Theophilus, & Leo Armenus: omnes infensi imaginibus. Contra autem Artabasdus post Imperium occupatum, imaginesq; restitutas, à Copronymo victus est, priuatusque oculis. Irene paucis annis post excæcatum perfide filium à Nicephoro relegata est in Monasterium. Michael Theophili filius, non tantum liberis susceptis nullis, Imperium à patre acceptum

ſuis relinquere non potuit; ſed etiam occiſus ab eo ipſo quem adoptarat, Baſilio. Similia obſeruanda reperiet quilibet hiſtoriam volutans. Sed notandum in Irene præpoſterum Iconolatrarum iudicium. Quum enim confidenter pronuncient aduerſus ſucceſſus Iconomachorum, fuiſſe ab imaginum odio; In hac tamen quo ſe vertant neſciunt. Πόλλοι ἐθαύμαζον, inquit Cedrenus, πῶς ὁ Θεὸς συνεχώρησε τὸν ὑπὲρ τῆς ὀρθῆς πίστεως μαρτυρικῶς ἀναθλήσαντα ὑπὸ ἀσεβοῦς καὶ τυραννικῶς ἀνῃρεθῆναι. ἄλλοι τὸν εἰς τὸν ἑαυτῆς ἁμαρτήσαντα παρεδέχοντο. καὶ ἄλλοι ἄλλως εὐδοκίμουν καὶ ἐγόγγυζον. *Mirabantur multi, qui factum vt Deus permiſerit eam quæ pro recta fide martyrum more decertarat, ab impio adeo tyrannice deiici. Alij peccatum in proprium filium obiiciebant: alii aliter obtrectarunt.* Ita ſe quocumq; vertunt, vt ne iuſta Dei iudicia deprehendant.

XXVIII. Et quod ad Imperij mutationem attinet, primo non recte Pipinus & Carolus in Iconolatris deputantur, vt alias docebimus. Secundo, ſi ab Iconomachis Conſtantinopolitanis ad Francos delatum Imperium (quanquam non tam delatum, quam ſciſſum) argumentum eſt iræ diuinæ: quid dicendum de Imperio Conſtantinopolitano ab Iconolatris ablato, & mox Francis, vt ita dicam, commodato, denique ad Turcas prorſus translatio? Quid de ipſo Imperio Germanorum deſtructo? Nam hodie ſolum Imperij nomen remanſit: res ipſa πάλαι φροῦδον ἀπίστα. Itaque argumentum hoc totum medium eſt: & in vtramque partem cum plauſu declamari poteſt.

XXIX. Et erant hæ Bellarmini rationes. Addam vnam ex Coſtero. Coſterus ergo argumentatur ab vtilitatibus imaginum. Eccleſia Catholica, inquit, imaginum vſum retinuit ob multis earum vtilitates. Prima vtilitas, ornatus loci & templorum: quam ob cauſam Moyſes in Tabernaculo; & Salomon in templo multa ſculpſerunt, & pinxerunt. Ac ſatius eſt ſacris picturis quam prophanis ornare ſacra loca. Secunda; vt doceantur rudiores. Nã, teſte Gregorio, pictura in Eccleſiis adhibetur; vt qui literas neſciunt; ſaltem in picturis videndo legant, quæ legere in codicibus non valent: quia quod legentibus Scriptura; hoc idiotis præſtat pictura cernentibus. Tertia; vt reuocentur in memoriam abſentia; & olim geſta. Quarta, vt moueantur & excitentur animi. Quinta; vt honoretur Chriſtus in imagine; eiuſq; Sancti. Quia erectis ſtatuis homines ab hominibus honorari conſueuerunt: & Chriſtus ſibi vult omne genus honoris deferri, qui vlli creaturæ defertur, quique nomine honoris cenſetur.

XXX. Reſpondeo primo, cum prohibet Dominus Deuteronomij 10. ne faciant ſinguli, quod rectum ſibi videtur: Et Apoſtolus quum damnat πᾶς ἐθελοθρησκείας, 2. ad Coloſſenſes: eo ipſo intelligendum, non licere prætextu alicuius vtilitatis quicquam inducere in Eccleſiam. Alias nunquam prædici poſſe anſam nouis adinuentionibus: cum nihil ſibi homo fingat, vnde non polliceatur aliquid commodi. Ne Ethnicis quidem exceptis: qui ſua idola credebant non eſſe inutilia. Et Iudæi quum poſtularunt fieri vitulum, Deos voluerunt, qui coram ſe increderent: quaſi illud clamantes, vtiliſſimum eſſe populo Dei viſibiles imagines obiicere, potius quam inuiſibilem quendam obtrudere. Itaque in hos quidem argumento nulla vis eſt concluſionis.

XXXI. Secundo, ipſæ vtilitates aut nihili ſunt, aut per accidens. Prima eſt nihili. Quid enim ad pietatem momenti eſt in loco? Quid in animis poteſt magnificentia loci: animis, inquam, eorum, quibus perſuaſum Deum colendum in ſpiritu & veritate? Enimuero nunquam ſincerius, nuſquam ardentius, nunquam potentius inuocatus eſt Deus in magnificis baſilicis poſt Conſtantinum, quam in Cryptis poſt Apoſtolos. Nec erant in Rotunda Romæ, ſed in Cœnaculo, qui totam domum concuti ſenſerunt peractis ſuis precibus, Actorum 4. Et tamen vtinam continuiſſent ſe Papiſtæ intra hanc vtilitatem, nec imagines affectaſſent, niſi ad ornatum. Nihil fuiſſet cauſſæ, accuſandi eorum Idololatriam. Et qui eum ornatum facile toleramus in Paulino, non exagitaremus hodie: ſed profecto ea Papiſtis, aut nulla, aut minima cauſſa eſt, imagines vſurpandi. Itaque fruſtra huc confugiunt. Quid? quod non docet Coſterus ornanda templa imaginibus, tantum ornanda Imaginibus ſacris, potius quam prophanis? Hoc vero quis neget ſanus? Enimuero hoc ſi ſupponatur ornanda eſſe templa imaginibus, nemo eſt qui non admittat ſacras potius, quam prophanas. At hoc potius quæritur, vtrum omnino ornanda ſint templa imaginibus, ſiue ſacris, ſiue prophanis. Et Catholici ſapienter negant vllis.

XXXII. Secunda vtilitas primo poterat concedi. Et ſane is vſus eſt imaginum omniumque picturarum, vt res exprimant, quæ alias literis poſſunt enarrari. At is vſus religioſus non eſt, ſed hiſtoricus tantum, cuius cauſſa extra religionem nos prolixe Imagines quaslibet concedimus, nec tantum ſanctorum, ſed etiam idolorum. Nihil enim obſtat, quominus Chriſtianus apud ſe imaginem habeat Iouis Hammonis, vt ſciat hac figura Deum quempiam Ethnicis olim adoratum, & noſtri Reges in ſuis καμελίοις habent Dianam illam Epheſiam. Nemo igitur merito damnet, ſi quis tabulam poſſideat in qua S. Ignatij vltimum cum belluis certamen deſcribatur, aut Laurentius in Crate, aut Petrus aut crucem inuerſus. Sed in religione nunquam aut vix vnquam accidit, vt recte docerentur imperiti ab imaginibus, quas propterea Scriptura nominat magiſtras vanitatis. Et ſane per ſe ipſas nullæ picturæ, quicquam docent. Nec vllus eſt Papiſtarum, qui quemquam Sanctorum diſcernere poſſit ab alio, niſi doctus aliunde hunc equitem pallium diuidentem mendico, eſſe Martinum, aut hunc alterum equitem lancea Dracouem fodientem, eſſe Georgium. Aut hanc muliebrem mammas infantulo præbentem eſſe Mariam Virginem. Hæc, inquam, nemo prorſus diſcernat, qui non aliunde didicerit. Itaque improprie dicuntur imagines eſſe idiotarum libri. Notet tamen Lector Chriſtianus hunc idololatriæ colorem, repetitum ab Ethnicis olim, quibus Athanaſius oratione contra Gentes, teſtatur imagines fuiſſe ὡς γράμματα τῆς περὶ Θεοῦ γνώσεως, *proliteris ad diuinitatem ſpeculandum.* Sic pulchre reſpondent antiquis noua.

XXXIII. Tertia cauſſa, non eſt admodum diuerſa à ſecunda, itaque admittit eaſdem conſiderationes. Veruntamen, neque quiduis abſens, præteritumve reuocandum in memoriam, quod facile Papiſtæ concedent, neque in Religione, quouis modo. Nam quis neget etiam per mimos reuocari memoriam poſſe rerum iampridem geſtarum? Qui tamen mimos, itidem vt imagines aut admittendos, aut colendos diceret, nullus adhuc opinor fuit. Tum autem longe præſtantior ratio eſt per prædicationem, à Deo ipſo inſtitutam, cui conſultiſſimum eſt præcipienti morem gerere, à potius omnino pendendum in religione.

XXXIV. Quarta ab excitandis animis, primo non eſt momenti maioris. Nam certe omnes modi quibus excitari poſſunt animi, admittendi non ſunt ad religionem, alias quis finis erat nugarũ? Incitantur animi mimicis geſticulationibus, etiam ne has admittimus? Incitantur & certaminibus gladiatorum, eaque de cauſſa locum inuenerunt in Romana Republica, placetne reſtitui? Denique mouentur animi, alias in amorem, alias in odium, & in Eccleſia æque neceſſe eſt odioſe malum, & amare bonum. Quomodo autem picturæ ſacræ mouent ad amorem boni, ſic impiæ mouebunt ad odium mali: Nam neque vllus Chriſtianus videbit Iouem per impluuium penetrantem ſe ad Danaen, aut ſuſcepta forma Tauri rapientem Europam, quin exſecretur & Iouis facinus, & ſtuporem idololatrarum. Erunt-ne autores Ieſuitæ reſtituendi templis imagines huiuſmodi? Et erunt fortaſſe, quos audio in neſcio qua ſiue aula ſiue camera meditationum, non gaudia tantum Paradiſi pingere additis Angelis, ſed etiam horrores inferni, conglobatis horrendis dæmonum formis.

XXXV. Denique ſi mouent, ſine dubio mouent per accidens nimirum pro præcedente inſtructione. Si ſit animus, ſic informatus, vt laudandum exiſtimet martyrium: tum illum, ſi forte, moueat ad martyrum laudes pictura oculis exhibita, ſed idem ſi à Luciano quodam formatus, irrideat pro more ſeculi, eos qui pro Chriſtiana religione ponunt animam, nunquam ille martyris hiſtoriam in pariete pictam videat, & temperet à ſcommatis. Contra, ſi videat Chriſtianus Præſidem quempiam crudeliter martyres damnantem deteſtetur ille profecto crudelem immanitatem, at eandem laudabit eiuſdem cum præſide particeps idololatriæ? Quomodo hodie, in eadem tabella, ſi pictus ſit Annas ille Burgenſis celebertimum noſtri temporis Chriſti martyr, de cruce pendens, inque ſubiectos ignes demiſſus, mirabitur ſanctiſſimi viri conſtantiam Catholicus, at laudabit carnificis rabiem Papiſta. Si noctem illam infandam, quæ Lutetiam vidit vndantem piorum ſanguine, pictam contempletur: quos è Catholicis non declamet in tantum ſcelus! At Florimundus aliquis Raimundus corculum Ieſuitarum, ad Monluci commentarios, ſeuerum edictum laudabit. En motus animorum ab eadem pictura!

XXXVI. In poſtrema vtilitate, quid vero ſi in imaginibus nolit Chriſtus honorari, nolint ſancti? Niſi forte magis in coloribus, quam in lapidibus. Sed illud egregie mentitus eſt Coſterus. Velle Chriſtum ſibi exhiberi omne genus honoris, qui defertur creaturæ. Hoc vero neque Scriptura vlla teſtatur, neque ratio cogit vlla, ſed audaciſſime ſumunt Ieſuitæ, quod probare non poſſunt. Quid enim? Mos eſt in hoc noſtro regno, defunctis regibus quadraginta poſt mortem dies, eadem omnia exhiberi officia, quæ viuis ſolebant. Hoccine etiam ſibi Chriſtus deferri vult? Mittõ infinita huiuſmodi: nam rei abſurditas per ſe patet.

CAP. VII.

An Veteres Chriſtiani docuerint adorandas imagines.

I. EX Antiquitate primo Concilia numerant; poſtea ſingulos Patres. Primum Concilium ſextum, in quo dicuntur imagines venerabiles, canone 82. Et Romanum ſub Gregorio tertio. Et aliud in villa Gentiliacenſi, apud Sigebertum, & Adonem. Et aliud Romanum ſub Stephano tertio, apud Sigebertum. Et denique Concilium ſeptimum, Nicænum ſecundum.

II. At hæc parum habent momenti, quia Concilia recentiſſima ſunt: Illud enim ſextum acceſſit proxime ad ſeculum ſeptimum, reliqua exceſſerunt. Incideruntque in corruptiſſima, turbulentiſſimaque tempora. Itaque fidem nullam per ſe ipſa facere poſſunt. Vnum euincunt, nimirum inductam fuiſſe Imaginum adorationem, ſed inducendam aliunde probandam. Imo ſextum illud Bellarminus, negat autoritatem habere, excepto hoc vnico canone, quaſi diceret ſe pro arbitrio Conciliis & dare momentum, & auferri: peneſque ſe eſſe, quid, quantumque iis debeatur. At Catholicis mens ſanior, qui etiam Oecumenicis Conciliis anathema dicunt, ſi quid ſtatuant contra verbum Dei, firmiterque tenent nouis dogmatis in Eccleſia nullam à Conciliis vllis Conciliari autoritatem poſſe.

III. Præterea Synodus Gentiliaca non videtur opportune nominata. Nam Sigebertus de ea hoc tantum. *In præſentia Pipini Regis inter Græcos & Romanos celebratur Synodus de ſancta Trinitate, & Sanctorum imaginibus.* Ado etiam: *Facta eſt tunc temporis Synodus, anno incarnationis Domini ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo; & quæſtio ventilata inter Græcos & Romanos de Trinitate; & vtrum Spiritus ſanctus ſicut procedit à Patre, ita procedat à Filio: & de Sanctorum imaginibus, vtrum-ne fingendæ, an pingendæ eſſent in Eccleſiis.* Nec quiſquam eſt, à quo quid definitum ſit, ſcire poſſimus, vt agnoſcit etiam Baronius. Obſeruandum tamen ab Adone ita poni ſtatum quæſtionis, vt nihil habeat de adoratione ſiue cultu, ſed tantum de ſitu in Eccleſiis. Non enim ſimpliciter, vtrum pingendæ fingendæve eſſent, ſed vtrum in Eccleſiis. Quanquam poſtea acceſſit quæſtio de adoratione, vt patet ex actis Francofortenſibus, id eſt, libro Caroli magni in quo conceduntur quidem fingendæ, pingendæque, ſed negantur adorandæ, & refutantur Acta Nicæna.

IV. Veruntamen Baronius ad annum ſeptingenteſimum ſexageſimum ſextum, videtur nonnihil ſuſpicari, alienum ab Eccleſia Romana. *Fortis coniectura ſuadet*, inquit, *vt hæ merces in Gallias per Legatos perfidi Imperatoris* (Cononymum intelligit) *vna cum donis pluribus ab eodem ad Pipinum allatis fuerint infeliciter allatæ: vt plane tempeſtiue admodum illud Poeticum fuerit occinendum, Timeo Danaos, & dona ferentes. Inſurraſſe hos nefarios in aures Pipini aliquid, & cum aulicis de iiſdem conſeruiſſe ſermones, etſi nemo dicat, declarauit tamen euentus, cum ob ſata zizania iſta, oportuerit eiuſmodi Synodum conuocari. Obfuit plurimum Francis, cum Græcis iiſdemque hæreticis iſta per legatos inita con-*

suetudo. Quod autem ſtatim addit, Gallicanos Epiſcopos fuiſſe defenſores imaginum, non videtur tam certum. Nam quid Synodus Romana momenti habet ad id probandum fuerit? Fuerunt in ea, fateor, duodecim Epiſcopi Galli, ſi tamen Anaſtaſio credendum. Fuit etiam ibidem decretum imagines eſſe venerandas. Sed inter mille circiter Epiſcopos, tot enim interfuiſſe Bellarminus docet, quis ſcit vtrum reclamarint Galli? Certe nemo conſenſiſſe dixit. At nos contra ſcimus Gallos Epiſcopos, paulo poſt, id eſt, tum ſub Carolo; tum poſt Carolum ſeſe oppoſuiſſe imaginum cultui. Itaque crediderim ſane potius in Gentiliaco conuentu, conſenſiſſe Gallos Græcis.

V. Synodus Nicæna ſecunda pertinet ad annum ſeptingenteſimum octogeſimum octauum. Fuitque coacta à Conſtantino Imperatore, eiuſque matre Irene: illo vixdum ephebo, hac muliere; ſuperbiſſima, crudeliſſimaque, & paucos ante annos Chriſtiana, nec niſi vt Imperatori nuberet. Illa ergo penes ſe cum haberet autoritatem imperij Synodum cogit: in qua præſes fuit Tharaſius, qui paulo ante cum ad ſedem Conſtantinopolitanam promoueretur, poſtulauit Synodum fieri: In ea præpoſtere omnia ſunt geſta: vt Baſilius Ancyranus, Theodoſius Myron, Theodoſius Amorianus, Hypatius Nicenus, Leo Rhodius, Gregorius Piſidiæ, Gregorius Peſſinuntinus, Leo Iconij, Nicolaus Hierapoleos, Leo Carpathius, ſedes ſuas obtinere non potuerint, niſi prius damnata eorum ſententia, qui imaginum cultum impugnabunt. Imo ſeptem poſt eorum, tanquam reorum cauſſa cognita eſt; & ſeueriſſime à Tharaſio increpatos oportuit palinodiam canere; ſuumque peccatum confiteri. Nec aliter actum cum Gregorio Neocæſarienſi ſecundæ actionis initio. Ita conſtat & præiudiciis actum eſſe, non legitima cauſſæ cognitione: & neminem admiſſum iudicem, qui non imaginum cultui impenſe faueret. Nimirum ſic facile erat cauſſam obtinere.

VI. Nec à ſingulis Patribus ſunt, quam à Conciliis armatiores. Nam ex iis, qui Gregorij Romani tempora præceſſerunt: nihil citant, quod vllius ſit momenti. Ex Baſilio in Iulianum. *Hiſtorias imaginum illorum honoro, & palam adoro: hoc enim nobis traditum à Sanctis Apoſtolis, non eſt prohibendum.* Sed iſte Baſilius, proculdubio non eſt Baſilius: ſed ſuppoſititius aliquis; ab Adriano Romano Pontifice ſolo iactatus: cui iconolatrarum principi quantaſit fides habenda, quis non videt?

VII. Chryſoſtomi Liturgia. *Sacerdos ad imaginem Chriſti caput inclinat.* Sed extant duæ Liturgiæ Chryſoſtomi nomine, valde tamen diuerſæ. Vna ex Eraſmi verſione, in qua is locus eſt longe poſt principium. Altera Græce, edita è Morellio, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, in cuius initio ſtatim præcipitur prebytero & Diacono triplex adoratio coram imagine Seruatoris, & Deiparæ. Cæterum deinceps imaginis nulla mentio. Apparet ex hac varietate illuſum fuiſſe populo nomine tanti viri: vt & aliis, quibus obtruſæ ſunt Liturgiæ Petri, Marci, Clementis, Baſilij, aliorum. Quinetiam editiones nonnullæ huius Chryſoſtomi Liturgij, additas habent preces pro Nicolao Pontifice Romano; qui poſt Chryſoſtomum vixit ſeculo quinto: quanquam in editione operum Chryſoſtomi Pariſienſi anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi tertij, nominetur tantum Nicolaus: at non in illa Græca Morellij. Sed in hac aliæ leguntur pro Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Ioanne Chryſoſtomo, Athanaſio, Cyrillo, Nicolao, οὐ Μύρων: & aliis multis, quorum nonnulli recentiores ſunt ipſo Chryſoſtomo: Cyrillus certe poſterior: imo etiam ſuſpectus animi in eum non æqui. πολλοὶ γὰρ σὲ καμωδοῦσι (inquit Peluſiota Epiſtola libri primi trecenteſima decima) ὡς οἰκείων ἀμωμόμορον ἐχθρῶν, ἀλλ' ἐ τὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὀρθοδόξως ζητοῦντα. ἀδελφιδοῦς ἐστι, φασὶ, Θεοφίλου, μιμούμενον ἐκείνου τὸν γνώμην. *Multi te traducunt, vt tuas inimicitias perſequentem, & vlcicentem: at non ea quæ* IESV CHRISTI *ſunt orthodoxe quærentem. Theophili, inquiunt, ex ſorore nepos eſt: illiuſque mentem ac ſententiam imitatur.* Et fuerat Theophilus, magnus ille Chryſoſtomi aduerſarius. Quare in his fabulis nihil ineſſe poteſt ad rem tantam momenti.

VIII. Ambroſius ſermone decimo in Pſalmum centeſimum decimum octauum. *Qui imaginem coronat Imperatoris, vtique illum honorat, cuius imaginem coronauit, & qui ſtatuam contempſerit Imperatoris, Imperatori vtique feciſſe videtur iniuriam.* At hæc impoſtura eſt. Recito locum integrum. *Sane & in eo qui foris eſt, illum qui intus eſt, frequenter aſpicimus: vt ſi viderimus pauperem, illum ad cuius ſimilitudinem factus eſt, honoremus in paupere, de quo ait: Dediſtis mihi manducare, quia quod vni eorum dediſtis, mihi dediſtis. Qui enim coronat imaginem Imperatoris, vtique illum honorat, cuius imaginem coronauit, & qui ſtatuam contempſerit Imperatoris, Imperatori vtique, cuius ſtatuam conſputauerit feciſſe videtur iniuriam. Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant, ſed inuiſibilis Dei imago non in eo eſt quod videtur, ſed in eo vtique quod non videtur. Vides ergo quia inter multas Chriſti imagines ambulamus? Caueamus ne coronam imagini detrahere videamur, quam vtique Chriſtus impoſuit. Caueamus ne aliquid detrahamus iis, quibus debemus adiungere. Sed, quod peius eſt, non ſolum non honeſtamus pauperes, ſed etiam dehoneſtamus, deſtruimus, perſequimur: Et ignoramus, quas Dei imagini congeramus iniurias, cum factos ad imaginem Dei putamus eſſe lædendos.* Hæc omnia ſunt Ambroſij. In quibus ne litera quidem de imaginibus Sanctorum. Hoc primum. Deinde neque de imaginibus Dei, & Chriſti manufactis: ſed tantum iis, quas ipſe Deus creauit, id eſt, hominibus. Id ſecundum. Tertio, nihil prorſus de venerandis Imaginibus: ſed tantum de iis charitate ſubleuandis; non autem iniuria afficiendis. At hæc nulla capita ſunt noſtræ diſputationis. Nam quod argumentum ſumit ab Imaginibus Imperatorum, quid habet momenti? Scio eodem noſtros vti Papiſtas, longe aliter. Sic enim concludunt: Imperatorum Imagines ſunt ciuiliter honorandæ: ergo & Sanctorum, religioſe. At non ſic Ambroſius. Imo: Imagines Imperatorum ciuiliter honorandæ, ergo pauperes non lædendi.

IX. Auguſtinus libri tertij de Trinitate capite decimo, loquens de ſignis ſacris, quales ſunt Imagines, literæ, & Sacramenta: *Sed quia,* inquit, *hæc hominibus nota ſunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religioſa poſſunt habere, ſtuporem tanquam mira non poſſunt.* Et nominatim ſerpentem æneum ponit in iis quæ merentur honorem religioſum. Sed hîc imagines, quorſum additæ ſunt à Bellarmino? An ex mente Auguſtini? Id vero falſum. Nam Auguſtinus Imaginum nullo modo meminit. Æneus enim ſerpens, vt alias diximus, in Imaginibus numerari non debet, quia non ſignificauit ſerpentem, etſi ſerpentis figuram geſtaret, ſed referebat Chriſtum: itaque inter ſigna locum habet, de quibus nulla nunc quæſtio. An igitur quaſi ex Auguſtini mente argumentatus? At primo, non hic locus eſt: nam cum ad autoritates ventum eſt. Veterum eſt, id ipſum quæritur quod de re propoſita illi Veteres ſenſerint: non autem, quid ex iis quæ ſenſerunt, erui poſſit. Secundo argumenti nulla eſt conſequentia, à ſignis ſacris ad imaginis; vt alias obſeruauimus.

X. Idem Auguſtinus libri tertij de Doctrina Chriſtiana capite nono, dicit eos ſeruire ſub ſignis, qui honorant vtilia ſigna, nec ſciunt quid ſignificent, quales erant olim Iudæi. Qui autem venerantur vtilia ſigna, & ſciunt quid ſignificent, eos non tam honorare ipſum ſignum, quam rem ſignificatam, & ideo liberos eſſe. At imagines Sanctorum ſunt vtilia ſigna, diuinitus inſtituta. Probatur ex libri 2. capite 25. vbi dicuntur picturæ & ſtatuæ pertinere ad ſuperflua inſtituta hominum, exceptis illis, quæ ob finem bonum, ſuo loco, & tempore proponuntur ab eo, qui habet autoritatem. Et libri 10. Confeſſionum, cap. 34. reprehenduntur pictores, & ſimiles artifices, quod neceſſarium & moderatum vſum, & piam ſignificanem longe aliquando trangrediantur. Admittit ergo Auguſtinus, quaſdam picturas eſſe neceſſarias, quaſdam etiam piam ſignificationem habentes, & proinde venerabiles.

XI. Atqui hîc varie Bellarminus peccat. Primo, nuſquam ſententiam vllam Auguſtini recitat, vnde appareat Auguſtinum approbare Imaginum cultum: ſed tantum argumentatur ex quibuſdam, quæ apud eum legit. Secundo, falſo aſſumit in ſignis illis Auguſtini vtilibus, Imagines Sanctorum. Nam hoc ſane Auguſtino in mentem nunquam venit. Neque probat ex 25. ſecundi: Nam toto eo capite Auguſtinus loquitur de ſignis ab hominibus inſtitutis inter ſe, non autem ad religionem pertinentibus. Itaque capitis concluſio hæc eſt. *Sed hæc tota pars humanorum inſtitutorum, quæ ad vſum vitæ neceſſarium proficiunt, nequaquam eſt fugienda Chriſtiano.* Quæ noſtra etiam ſententia eſt, qui imagines ad finem, vſumque ciuilem; admittimus, ſiue Chriſti, ſiue Sanctorum, ſiue alius cuiuslibet rei, excepta Deitate. Sed ab eo vſu ad religioſum cultum, tranſitus nullus datur.

XII. Sed illud, *exceptis iis, quæ ob finem bonum, ſuo loco, & tempore ponuntur, ab eo qui habet autoritatem,* quorſum à Bellarmino addantur, ego quidem non video. Auguſtinus, poſtquam loquutus eſſet de ſignis Pantomimorum, & picturis ac ſtatuis: *Et hoc totum genus,* inquit, *inter ſuperflua hominum inſtituta numerandum eſt, niſi quum intereſt quid eorum, qua de cauſſa, & vbi, & quando, & cuius autoritate fiat.* Huc ſi Bellarminus alluſit, profecto Ieſuitice luſit. Nam Auguſtinus non magis bonum finem nominauit, quam malum, nec magis eum qui autoritatem habet; quam eum qui nullam habet. Et reliqua ſimiliter. Itaque ego potius dixerim mentem Auguſtini eſſe; geſtus illos pantomimorum, & imagines, & ſtatuas, per ſe conſideratas, nihil aliud eſſe quam ſuperflua inſtituta. Inibi autem veniſſe in mentem viro pio; quandam ab Ethnicis obiectionem, quare ergo Chriſtiani à Theatris abhorrerent, & ab imaginibus, ac ſtatuis Ethnicorum. Cui vt præuerteret hanc exceptionem addidiſſe: quia illa inſtituta vſurpentur ob eas cauſſas, iiſque locis, & temporibus, atque ea autoritate, vt non poſſint amplius haberi pro mere ſuperfluis, ſed pro malis. Quomodo & nos imagines Sanctorum ſuperfluas ſic cenſemus, nec tamen abhorrendas, ſi nihil accidat præterea. Sed à Papiſtis nihilominus vſurpatas, & adorandi cauſſa, & in templis, & quum religioni vacandum eſt, & ex mandato hominum, proinde non iam ſuperfluas eſſe, ſed idololatricas.

XIII. Sed in vltimo loco ex Confeſſionibus, quid ſibi Bellarminus voluit? aut, quid cogitauit? Quaſdam, inquit, picturas neceſſarias Auguſtinus eſſe putauit, quaſdam piam ſignificationem habentes. Ergo venerandas. Itane? ô Ieſuitæ, Ieſuitæ! quam ſibi illi peſſime conſulunt, qui ſe veſtræ fidei permittunt! Atqui primum conſequentia eſt inepta: nam ſi neceſſariæ, ſi pium aliquid ſignificantes, picturæ ſunt tamen, non ſunt venerabiles. Neque ea de re vel per ſomnum cogitauit Auguſtinus. Secundo, nihil toto capite illo bonus ille pater agit, niſi de delectatione oculorum, non igitur de religionis pietate. Tertio non picturas diſtinxit in neceſſarias, ſed dixit picturas excedere vſum neceſſarium: hoc eſt, non eſſe neceſſe hominibus vti vllis picturis, ideoque luxurioſe vſurpari, atque οὐ εὐσεβῶς. Et autoritate nititur Auguſtini, qui Auguſtinum adeo perfide deprauat? Addo locum. *Quam innumerabilia variis artibus & opificiis, in veſtibus, calciamentis, vaſis, & huiuſmodi fabricationibus, picturis etiam, diuerſiſque figmentis: atque his vſum neceſſarium, atque moderatum, & piam ſignificationem longe tranſgredientibus, addidorunt homines, ad illecebras oculorum, foras ſequentes, quod faciunt, intus relinquentes à quo facti ſunt, & exterminantes quod facti ſunt.*

XIV. Paulinus, natali decimo ſancti Felicis, de Imaginibus in templo depictis, ſic ait, *Miremurque ſacras, veterum monumenta figuras.* Ita eſt vero, inquam. At quid in fit? Nam *mirari* verbum eſt à noſtra quæſtione remotum. Æneas. *Artificiumque manus intra ſe, operumque laborem Miratur,* nec adorat tamen. Imo ſacras appellat, inquit Bellarminus. Res autem omnes ſacræ honorandæ. Ergo, inquam, non Hoc Paulini teſtimonium eſt, ſed Bellarmini argutia, de qua iam ante dictum ſatis.

CAPVT

CAP. VIII.

De distinctione præceptorum Decalogi.

I. QVam sint leues Papistarum coniecturæ, quibus inducti imagines adorant, iam constat opinor. Nunc contra Catholicorum expendamus argumẽta. Quorum primum esto, ex 2. decalogi præcepto in hæc verba; Hebraicè, nam ita opus est. Exod. 20. לֹא תַעֲשֶׂה לְךָ פֶסֶל וְכָל־תְּמוּנָה, אֲשֶׁר בַּשָּׁמַיִם מִמַּעַל וַאֲשֶׁר בָּאָרֶץ מִתָּחַת וַאֲשֶׁר בַּמַּיִם מִתַּחַת לָאָרֶץ: לֹא תִשְׁתַּחֲוֶה לָהֶם וְלֹא תָעָבְדֵם. *Non facies tibi sculptile, & nullam similitudinem, quæ in cælis superne: aut in terra inferne, aut in aquis sub terra: Non adorabis ea, neque seruies eis.* Hoc vero mandatum ita disertum, vt nihil supra. Prohibentur homines, ne sibi faciant vllas similitudines, siue cælatas, siue pictas: non quidem absolute, sed religionis causa: quod constat primo ex eo, quod subiicitur de adoratione, & seruitute: secundo, quia id præceptum est in prima tabula, quæ religionem spectat. Itaque Papistas secure accusamus præcepti violati, & quidem tanti, seuerissima interminatione sancitti. Nam ipsi sibi faciunt imagines, quibus seruiant, quibus etiam incuruent sese.

II. In hoc præcepto vim magnam esse contra imagines vel inde discas: quod Papistæ, aut omnino non possint, aut vix possint plebi proponere. Nã & iam olim sublatum est è numero præceptorum in Latinis versibus: *Vnum cole Deum, nec iures vana per ipsum*: & in rhithmis illis Gallicis, quæ populis proponebantur. *Vn seul Dieu tu adoreras, & aimeras parfaitement. Dieu en vain ne iureras.* Qui rithmi recitantur in Catechismo Iesuitarũ, edito Lugduni anno millesimo sextentesimo: & apud Hayum contra Ministrum Anonymum. Item in Vicelij Catechismo Ecclesiæ, Ne habeto Deos alienos coram me: Ne sumito nomen Domini Dei tui in vanum. Sed & in Catechismo Gallico Bellarmini, edito Auenione anno vltimo superioris seculi. *Dites les dix commandements, Ie suis le Seigneur ton Dieu, Tu n' auras point d' autre Dieu deuant moy. Tu ne prendras point le nom de Dieu en vain.* Et in altero eiusdem prolixiori, Lugduni anno primo huius seculi, interprete Frãcisco Pericardo. *Tu n' auras autre Dieu que moy. Tu ne prendras point le nom de Dieu en vain.* Imo, quod mirere magis in Synodo Diœcesana Augustensi c. 25. cum seuere præcipitur plebanis recitare singulis diebus Dominicis orationem Dominicam, angelicam salutationem, Symbolum Apostolicũ, & decalogi præcepta, distinctè, ac tractim, vt populus subsequi possit, tum huius mandati ne tenuissimum quidem relictum est vestigium. Et ægre ferebat tamen idipsum Concilium, grauissimũ admissum ab hæreticis peccatum in oratione dominica, qui pro *Pater noster qui es in cœlis*, dicebant *Noster Pater in cœlis*: omisso substantiæ verbo. Næ ij religiosissimi Patres fuere, & digni quibus summa rerum permitteretur. Polydorus Vergilius c. 9. lib. 5. de Inuentoribus scripserat capita legis. *Vnum Deum colito. Nullius animalis effigiem colito. Per Dei nomen haud frustra deierabis*, & deinceps. Non tulit scelus Iudex Purgatorius Belgicus adscribens, *Deleatur.*

III. At si qui paulo modestiores fuere, non omisere illi quidem omnino, at neq; recitauere, sed paucis perstrinxere. Catechismus Canisij minor. *Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, vt adores illud.* Itidem Gallice, itẽ Græce, Catechismus Theologorum Rhemensium, *Ie suis le Seigneur ton Dieu. Tu n' auras point de dieux estrangers en ma presence: tu ne feras nulle idole ou simulacre pour l' adorer.* Catechismus Edmundi Augerij. *Escoute Israel, Ie suis le Seigneur ton Dieu, Tu n' auras point d' autres dieux deuant ma face. Tu ne feras aucune Idole, ou semblance pour l' adorer.*

IV. Quis non videt vtrosque desperasse fucum facere plebi, si hoc præceptum suis totidem verbis proponerent? Nam & sculptile, & similitudinem, qui prohibitam auditent, & quidem omnium rerum in cœlo, in terra, in aqua; possentne ij non suspicari sinistri aliquid de oscellis, quæ in templis, in cubiculis vident quotidie? Et qui incuruat omnem, seruitutemque ih eo præcepto legerent: næ illi vel stipitibus essent stolidiores, & ἀναισθητότεροι; vel statim concluderent non bene, non pie se procumbere coram imaginibus. Itaque necesse fuit fraude rem agere. Quid? quod Galatinus Arcanorum Catholicæ veritatis libro vndecimo, contra Iudæos disputans, non est ausus hoc præceptum in decem nominare, ne Hebraice quidem? Id factum capite secundo.

V. Audaciæ dedit occasionem Augustinus, qui ita decem numerat præcepta legis; vt in priore tabula tria sint duntaxat; in posteriore vero septem. Ac proinde hoc de imaginibus comprehendatur sub primo de Diis alienis. Quæ sententia etsi tolerari possit, aut certe dissimulari: vtpote quæ per se neque quicquam mali habeat; neque sit adeo magni momenti, tamen ex hac fraude apparet non fuisse facile admittendam. Nam, quia discerpto postremo in duo; nihilominus decem numerentur, Hayo confidentia fuit exclamare, *Quod, obsecro, præceptum Dei hic antiquatum vides? Decem profecto reperies, si numerare noueris.* Imo Alanus Copus hanc mutilationem integro cap. 21. Dialogi 4. studiosissime tuetur. Itaque priusquam progrediamur vlterius, de ea dicendum. Nam & Bolengerus contra Plessæi capit. 2. libri 2. hanc quæstionem ponit pro fundamento suæ responsionis. Et Cotonus primum ei caput dicauit libr. 3. Institutionis Catholicæ.

VI. In constituenda quæstione Alanus obseruat constare apud omnes, primo, decem esse verba, siue præcepta duabus tabulis comprehensa. Secundo; primam tabulam ea solum continere quæ ad honorem cultumque Dei pertinent: secundam ea quæ ad hominum inter se cultum conuersationemque. Tertio, secundæ tabulæ primum præceptum, esse de pietate in parentes. Esse vero incertum, quæ & quot sint primæ aut secundæ tabulæ præcepta: Neque esse ita hanc rem definitam ab Ecclesia, vt non licet at diuersum sentire. Hebræos quinque præcepta vtrique tabulæ adscribere: Patres nonnullos quatuor primæ, sex secundæ, nec quidem omnes similiter: Alios, tria primæ, septem secundæ.

VII. Verum Catholici, vt tria illa prima capita certa esse consentiunt; ita in reliquis statuunt, primo, non esse incertum apud Christianos quænam capita ad vtramque tabulam pertineant: neque vnquam ea de re disputatum fuisse. Nam etsi de numero varient sententiæ, tamen de ipsis præceptis, nulli venit in mentem dubitare. Nam etiam qui tria tantum assignarunt primæ tabulæ, in iis tribus omnia comprehenderunt, quæ alij quatuor numerarunt, ne verbulo quidem minus. Sed differentia in eo est, an illud de Diis alienis coniungendum sit cum altero de Imaginibus? an potius vtrumque suo signandum numero. Et qui in secunda septem numerant, non plura comprehendunt, quam qui sex duntaxat: tantum alij concupiscentiam domus, distrahunt à concupiscentia vxoris, & seruorum: alij autem in vnum idemque præceptum compingunt. Mitto paucos qui vtrique, tabulæ adscribentes mandata, quinque illud de Parentibus in primam transferre sunt coacti: Fuere enim tam pauci, vt ne nominari quidem mereantur.

VIII. Itaque sola superest quæstio, quot sint vtrique tabulæ assignanda præcepta. Quam quid opus est pendere à definitione Ecclesiæ quũ sint ipsa præcepta a Deo immediate? Tam profecto Deus distinxit quatuor, & sex, quam omnino decem condidit. Itaque quomodo non referendum ad Ecclesiam, vtrum decem sint præcepta, an pauciora, plurave ita neque permittendum cuiquam, vt tria tantum adscribat primæ tabulæ: & septem secundæ, sed omnino ratum fixumque habendum, quatuor in prima, sex in secunda esse: omnino totidem, nec plura, nec pauciora.

IX. Pugnat Alanus primo autoritate, deinde ratione. Autoritas vnius est Augustini: qui Epistola 119. *In tribus*, inquit, *primis præceptis Decalogi, quæ ad Deum pertinent (cætera enim septem ad proximum pertinent, id est, ad hominem; quia in duobus præceptis tota lex pendet) tertium ibi, de obseruatione Sabbati positum est.* Et in Psalmum 32. concione 1. *Præcepta legis decem sunt. In decem autem præceptis legis habes Psalterium. Perfecta res est. Habes ibi dilectionem Dei tribus: & dilectionem proximi in septem.* Quin idem quæstione 71. in Exodum, hanc suam distinctionem rationibus confirmat. Primo, quia tria præcepta in prima tabula Trinitatem insinuant. Secundo quia quod dictum est. *Non erunt tibi Dij alij præter me*, hoc ipsum perfectius explicatur, quum prohibentur colenda figmenta. Tertio, quia discreuisse videtur concupiscentiam vxoris alienæ, a concupiscentia cuiuslibet rei alienæ, quando vtrumque sic cœpit, *Non concupisces vxorem proximi tui*: & *non concupisces domum proximi tui*: & hinc cœpit cætera adiungere. Non autem quum dixisset, *non concupisces vxorem proximi tui*: huic connexuit alia, dicens, neque domum eius, neque agrum eius, neque seruum eius, & cætera: sed omnino apparet hæc esse coniuncta, quæ in vno præcepto videntur, & discreta ab illo, vbi vxor nominata est.

X. Augustini rationibus suas rationes Alanus subnectit. Primo, vt Principibus, sic Deo deberi fidem, reuerentiam, obsequium. Inde triplex præceptum, primum ad fidem: secundum ad reuerentiam: iterum ad obsequiũ. Secundo, si illud de Imaginibus non sit accessio primi præcepti, ergo nullæ imagines permittentur, siue in templis, siue extra templa. Tertio: statim adduntur præmia & pœnæ. At hæc non magis ad illud de imaginibus pertinent, quam ad alterum de Diis. Quarto, omnis Theologorum schola frequentissimo consensu in eandem sententiam decurrit. Quinto, si ea distinctio commoda visa est ante Iconomachorum tempora: longe ergo magis, postquam ea verba hodie torquentur, in virginis & sanctorum imagines.

XI. At Catholici contra. Verum Testimoniis longe sunt superiores. Primo, enim Iudæi, quibus lex ea data erat, sic acceperunt, testibus Philone, & Iosepho. Isto quidem Antiquitatum libri tertij capite quarto. Διδάσκει ἡμᾶς ὁ πρῶτος λόγος, ὅτι θεός ἐστιν εἷς, καὶ τοῦτον σέβεσθαι μόνον. Ὁ δὲ δεύτερος κελεύει, μηδένος οἰκήματα ζώου ποιήσαντας προσκυνεῖν? *Primum præceptum docet nos, Deum vnum esse, & hunc solum colendum. At secundum, vetat vllius animalis imaginem fieri, & adorari.* ὁ δὲ δέκατος μηδενὸς ἀλλοτρίου ἐπιθυμεῖν καμνόντων. *Decimum ne quid alienum concupiscamus.* Philo autem præcepta diuidit in duas πεντάδας, ita dissentiens à reliquis in distinguendis tabulis: at non in disputandis tamen præceptis. In libro de Decalogo, Δίχα τοίνυν ὅτι διῃρεῖς εἰς δύο πεντάδας, ἃς δυσὶ πίναξι ἐχαράξε. καὶ ἡ μὲν πρόσθεν πεντὰς τὰ πρὸς τὸν θεὸν ἐκάλει, ἡ δὲ δευτέρα τῶν πρὸς ἀνθρώπους ἠξιώθη, ἡ μὲν οὖν ἀμείνων πεντὰς τοιάδε λῦε, περὶ μοναρχίας, ἢ μοναρχεῖται ὁ κόσμος, περὶ ξοάνων καὶ ἀγαλμάτων, καὶ σωλῆνας ἀφιδρυμάτων κεκοσμημένων. *Decem igitur illa distribuit in bis quina; duabusque tabulis inscripsit. Prima Pentas dignior est, altera inferior. Illa igitur dignior huiusmodi est. De Monarchia, quatenus ab vno principe mundus regitur. De simulacris, & statuis, & generaliter omnibus monumentis fabrefactis.*

XII. Sed & Christiani, Clemens ille quisquis est Constitutionum libri secundi, capite trigesimo sexto, περὶ ὀφθαλμῶν ἔχει τὸν θεὸν φόβον, πάντοτε μεμνημένος τῶν δεκα τοῦ θεοῦ λογίων. Ἀγαπᾶν κύριον τὸν θεὸν σου ἐξ ὅλης καὶ μόνον ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος. Μὴ προσανέχειν εἰδώλοις, ἢ τισιν ἑτέροις, οἷς θεοῖς ἀψύχοις, ἢ ἄλογοις, ἢ δαίμοσιν. *Habe præ oculis timorem Dei: memor semper decem mandatorum Dei. Amare Dominum Deum vnum & solum totis viribus. Non attendere idolis, neque aliis vt diis inanimis, aut irrationabilibus, aut dæmonibus.* Et libri primi capite secundo, Ἀπέχεσθε πάσης πλεονεξίας, καὶ ἀδικίας, καὶ γὰρ οὐ τῷ νόμῳ γέγραπται, οὐκ ἐπιθυμήσεις τοῦ γειτονικοῦ σου οὐδὲ τὸν ἀγρὸν αὐτοῦ. οὐδὲ τὸν παῖδα αὐτοῦ. οὐδὲ τὸν παιδίσκον αὐτοῦ, οὐδὲ τὸν βοῦν αὐτοῦ, οὐδὲ τὸ ὑποζύγιον αὐτοῦ, οὐδὲ ὅσα τῶν πλησίον σοῦ ἐστιν. *Abstinete ab omni auaritia, & iniustitia. Scriptum enim est in lege. Non concupisces vxorem proximi tui: neque agrum eius, neque seruum eius, neque ancillam eius, neque bouem eius, neque iumentum eius, neque quicquam eorum quæ sunt proximi tui.* Ita & diuisit Clemens quæ nos diuidimus, & coniunxit, quæ nos coniungimus. Tertullianus aduersus Iudæos, cap. 2. Et contra Marcionem libri secundi, capite decimo septimo constanter secundæ tabulæ sex præcepta sigillatim enumerat, etsi perturbato ordine. Illic, *Non occides, non mœchaberis, non fraudaueris, falsum testimonium non dices, honora patrem tuum & matrem, & alienum non concupisces.* Hic vero: *Non occides, non adulterabis, non furaberis, non falsum testimonium dices, alienum non concupisces, honora patrem & matrem.*

XIII. Origenes homilia 8. in Exodum, *Primum ergo mandatum est, non erunt tibi dij alij, præter me. Est post hoc sequitur: Non facies tibi idolum, neque vllam similitudinem.* Et recitato sic toto mandato, *Hæc omnia si-*

simul nonnulli putant esse vnum mandatum. Quod si ita putetur, non complebitur decem numerus mandatorum: Et vbi iam erit Decalogi veritas? Sed si eo modo dirimatur, quo & nos in superiori pronunciatione distinximus, integer decem mandatorum numerus apparebit. Est ergo primum mandatum, Non erunt tibi dij alij præter me. Secundum vero, Non facies tibi idolum, neque vllam similitudinem. Athanasius in Synopsi, capite de Exodo, cum liberum continere dixit, cum alia, tum πὰς ὁν πλαξὶ δέκα ἐντολὰς πάντας, πρώτὴν· ἐγώ εἰμι Κύριος ὁ Θεός σου· Δευτέραν, οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα, *in tabulis decem præcepta ista: primum, Ego sum Dominus Deus tuus secundum, non facies tibi idolum, neque cuiusquam similitudinem,* δεκάτὴν δὲ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τὸν πλησίον σου. οὐδ' ὅσα τῷ πλησίον σου ἐστὶν, *Decimum, non concupisces vxorem proximi tui, neque quicquam quod sit proximi tui.*

XIV. Nazianzenus carminibus describens decem mandata, non discedit ab illis. Nam primum ponit, οὐ γνώσῃ Θεὸν ἄλλον, ἐπεὶ σεῦ οἶον ἐνός γε. Secundum, οὐ σήσεις ἐνδαλμα κενὸν καὶ ἄπτοον ἥκω. Decimum, ἀλλοτρίωντι πόθον, σὺν ἔνδεα μέρεσιν. Ambrosius in 6. ad Ephesios, *Quomodo hoc primum mandatum dixit, cum constet, primum mandatum ita contineri: Non sint sibi dij alij præter me: Deinde, Non facies tibi similitudinem vllam quæ sunt in cœlo sursum, & in terra deorsum. Tertium, Non sumes nomen Domini Dei tui in vanum. Quartum, obseruabis, inquit, Sabbata mea. Quintum autem, Honora patrem & matrem.* Hieronymus in eundem locum, illud idem mandatum de patre & matre in Decalogo quintum esse dicit, cum primum mandatum sit, non erunt tibi dij alij præter me: Et post, *in secundo mandato in promissionem esse sociatam: ait enim, Non facies idolum*, & reliqua. Autor operis imperfecti in Matthæum homilia trigesima tertia, *Possides legis diuersa mandata: vt puta, habes hoc mandatum, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est, trade ea pauperibus Gentibus, non habentibus vnum Deum. Habes, non facies idolum: trade hoc pauperibus Gentibus, & per ignorantiam idola multa colentibus. Habes, non occides, trade hoc Gentibus homicidia multa facientibus.* Idem homilia quadragesima nona. *Legis iustitia prima, & salutaris, decem habet mandata, quasi decem menses: primum cognoscere vnum Deum, secundum abstinere ab idolis: tertium non periurare: quartum colere sabbathum: quintum honorare patrem & matrem: sextum non occidere: septimum non adulterare: octauum non furtum facere: nonum non falsum testimonium dicere: decimum nullam rem proximi concupiscere.* Autor Quæstionum ex Veteri & Nouo Testamento, quæ tribuuntur Augustino, capite 7. *Denique dixit: Non sint tibi dij alij præter me: primum verbum hoc est, & subiecit secundum: Non facies tibi vllam similitudinem.* Et tandem in secunda tabula, Sextum, *Non concupisces quicquam proximi tui.* Ambrosius in 6. ad Ephesios, *Quomodo hoc primum mandatum dixit?* Nempe de honore parentum. *Cum constet primum mandatum ita contineri, Non sint tibi dij alij præter me. Deinde non facies tibi similitudinem vllam, quæ sunt in cœlo sursum, & in terra deorsum. Tertium, non sumes nomen Domini Dei tui in vanum. Quartum, obseruabis, inquit, Sabbatha mea. Quintum autem, Honora partem & matrem.* Seuerus Sulpitius Sacræ historiæ libro 1. *Ita lex lata multiplex & copiosa Dei verbis, & sæpe repetita, cuius si quis erit curiosior fontem ipsum adeat, nos eam breuiter perstringimus. Non erunt, inquit, tibi dij alij præter me. Non facies tibi idolum: Non sumes nomen Dei tui in vanum: Sabbatis nullum opus facies.* Et quæ sequuntur.

XV. Hæc illi, nec vero vllum obseruare potui antiquiorem Augustino, qui in aliam ierit sententiam. Et admoneo Clementem Alexandrinum Stromateon 7. sine dubio corruptum esse, ἡ πρώτη inquit, τῆς δεκαλόγου σύντολὴ, εἷς ἐστιν ὅτι μόνος εἷς ἐστι Θεὸς παντοκράτωρ, ὃς καὶ τῆς Αἰγύπτου τὸν λαὸν μετήγαγε διὰ τῆς ἐρήμου εἰς τὴν πατρῴαν γῆν· ὅπως καταλαμβάνωσι ἐφ' ἅ τῶν θείων συνεγνωκότων, οἷς ἐδύναντο τὴν δύναμιν αὐτοῦ, ἀφιστῶντες δὲ τῆς τῶν γεγονότων εἰδωλολατρείας, τὴν πᾶσαν ἐλπίδα ἐπὶ τὸν κατ' ἀλήθειαν ἔχοντες Θεόν. *Primum Decalogi mandatum statuit solum vnum esse Deum omnipotentem, qui ex Aegypto populum transtulerit per desertum: vt ex diuinis operibus comprehenderent pro viribus, eius potentiam: & recederent à rerum creatarum idololatria, tota spe defixa in verum Deum.* Quæ verba videntur illud de Idolis annectere primo præcepto: vnde & postea secundum dicitur illud de nomine Dei: & tertium reliquum de Sabbatho. Verumtamen paulo post illud de Patre & matre vocatur Quintum, ὁ δὲ πέμπτος ἐξῆς ἐστι λόγος περὶ πηνῶν πατρὸς καὶ μητρὸς. Quomodo, si tres tantum præcesserunt? Denique Δέκατος δὲ ἐστιν ὁ περὶ ἐπιθυμιῶν ἁπάσων λόγος, *Decimum est illud de omnibus concupiscentiis præceptum.* Quomodo vero, si in primo Decalogo sunt tantum tria? Nam hoc quidem non discerpitur vt ab Augustino, in vnum de vxore, & alterum de reliquis rebus. Itaque corruptum esse locum Clementis, nullus dubio.

XVI. Quinetiam post Augustinum Hesychius discessit quidem ab omnibus; quia præceptum de Sabbatho expunxit, in caput vigesimum sextum Leuitici: sed in distinctione præcepti de idolis consentit reliquis. Nam teste Thoma, Prima secundæ, quæstione centesima, articulo quarto, sex assignat præcepta secundæ tabulæ: Ergo primæ quatuor, quæ vt compleantur, primum præceptum ponit, *Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Procopius in Exodum, *Non erunt tibi dij præter me. Hoc primum est præceptum: secundo sermocinante de idolis & imaginibus. Ni enim in hunc modum quis leges distinguat, non poterit in ordinem certum redigere Decalogum.* Primasius in sextum ad Ephesios, *Quod est mandatum primum in promissione. Promissionis primum in secunda tabula, quæ ad humanitatem pertinentia præcepta, sex numero, continebat.* Eucherius quæstione tertia in eandem ad Ephesios, postquam eorum meminisset, qui primæ tabulæ tria tantum mandata assignantes, illud de patre & matre quarto loco numerabant: *Alij vero*, inquit, *hoc mandatum non quarto, sed quinto loco, quod & nos probamus, esse confirmant.* Ionas Aurelianensis de cultu Imaginum libro primo, *Illud quoque satis mirari non potest, quum de omni similitudine non facienda, secundum Decalogi præceptum assumpseris.* Adde Rupertum Tuitiensem tertij in Exodum capite vno & trigesimo, *Primum est, Non habebis deos alienos coram me: vltimum, Non concupisces.* Et capite proximo, *Quorum primum non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile sequens, sed vltimum est, non concupisces. Quatuor ex his dilectioni Dei, sex dilectioni subseruiunt proximi. Non habebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, memento vt diem sabbatorum sanctifices. Quatuor ista Dei dilectioni repugnantia prohibendo, locum eidem dilectioni Dei, sermo Dei patrare intendit.* Apud Sedulium in sextum ad Ephesios lego, *Quaretur, quare nunc dixerit, quod est mandatum primum, cum sit quartum, vel quintum.* Sed falsauit aliquis sine dubio. Nam sequentia contra sunt, *Alij distinguunt quod est mandatum primum in repromissione, quasi quatuor alia mandata, quæ ante hæc dicta sunt, non habeant promissionem.* Audin' quatuor promissa? *Sed videntur*, inquit, *non obseruasse subtiliter in secundo mandato repromissionem esse sociatam. Ait enim, non facies tibi idola.* Audin' de idolis secundum mandatum?

XVII. Habent ergo Papistæ solum Augustinum sibi patronum, cui cur non præponderent à nobis laudati? Sunt autem leuissimæ Augustini rationes. Prima ab adumbratione Trinitatis; nihil habet solidi, quis enim Augustinum docuit Deum voluisse in mandatorum numero adumbrare Trinitatem? Aut quis Augustinus est, qui possit de Dei voluntate, quam non reuelauit, quicquam diuinare? Esse autem illud de idolis perfectiorem explicationem deorum alienorum, non est verum: Est enim potius alia species idololatriæ. *Primum præceptum*, inquit Procopius, *versatur in potentiis corporeis, & inuisibilibus, quas quidam diuinis honoribus prosequuntur, nullis vel idolis, vel imaginibus positis.* Nos addimus, etiam oportuisse eos cohiberi, qui Deum verum præsumunt in imaginibus adorare.

XVIII. In tertia ratione imposuerunt Augustino septuaginta interpretes; qui vno eodemque modo reddiderunt in Exodo, & in Deuteronomio: contra Hebraicam veritatem. Nam in quinto Deuteronomij Moses dixit, *Non concupisces vxorem proximi tui, neque desiderabis domum proximi tui, agrum eius, & seruum eius, & ancillam eius.* At 20. Exodi: *Non concupisces domum proximi tui: non concupisces vxorem proximi tui, neque seruum eius, neque ancillam eius.* Quam diuersitatem si exhibuissent Augustino sui interpretes: næ ille, quo erat iudicio, animaduertisset facile nihil in hac serie mysterij esse. Quin etiam obseruasset in Deuteronomio, non scribi: Non concupisces vxorem proximi tui, non concupisces domum proximi tui: Sed potius, *Non concupisces vxorem proximi tui:* ולא *neque concupisces domum proximi tui:* copulato hoc membro cum præcedenti; quod in diuersis præceptis reliquis non est factum.

XIX. Supersunt Alani ratiunculæ. Debentur Deo, inquit, fides, reuerentia, obsequium. Ita est, inquam, sed quid tum? Ergo triplex præceptum esse debuit. Laudo subtilitatem, necessitatem nullam video. Et scio eiusmodi multa excogitare posse, quomodo Augustinus Trinitatem obtendit. Verum non quæcunque homo excogitare potest, ea Deus ipse cogitauit. Et quid? si quartum membrum addam? Puritatem illam, quæ Deum colit in spiritu & veritate? Tum sane non tantum soli Deo credendum, hærendumque fuerit, sed etiam abque imaginibus, quæ & corporales sunt & falsæ. Itaque hoc erit de imaginibus præceptum distinctum. Quid si etiam fidei geminas partes? Vt & nullus Deus falsus adoretur, & ipse verus adoretur sine imaginibus? Tum rursus quatuor erunt. In secunda ratione negatur consequentia. In tertia rursus nulla vis est. Nam in quinto promissio est, quæ tamen non est ei peculiaris, & est nihilominus præceptum disparatum. In quarta Theologi illi recentissimi sunt, nullaque parte comparandi cum vetustissimis. In quinta, nos contra, tolerari potuisse in Augustino hanc duorum præceptorum confusionem, quum neque imagines inductæ erant in Ecclesiam, neque ipsum præceptum omittebatur. At nunc quum insaniunt homines in imaginibus, & eo prouecti sunt, vt hoc secundum præceptum vel prorsus tollant, vel eneruent pro viribus, tum vero obsistendum huic confusioni.

CAPVT IX.

De differentia Idoli & Imaginis, & simulacri.

I. CONstituto ordine præcepti, nunc de eius sensu agamus. Et quidem prohiberi idololatriam omnes consentimus. Verum quænam illa sit idololatria non conuenit. Catholici proprie omnem omnium Imaginum cultum religiosum, extensiue autem, omnem creaturæ cuiusliber adorationem. Sed hoc Papistæ ægre ferunt. Et primo de vocabuli originatione disputant; deinde de definitione rei. Docent ergo τὴν εἰδωλολατρείαν esse τὴν τῶν εἰδώλων λατρείαν: ac vim faciunt in vocabulis Idoli, Simulacri, Imaginis, inque iis magnam distantiam imaginantur, Bellarminus de Sanctis libro secundo, capite quinto: Richeomus de imaginibus, capite primo & secundo: Et idololatriæ Hugonoticæ libro primo, capitibus secundo & tertio. Vasques in tertia Thomæ disputatione centesima prima. Iacobus Dauius loco nono Collationis apud Fontem-bellaqueum.

II. Et Bellarminus quidem Imaginem definit veram similitudinem: Idolum falsam similitudinem, id est, repræsentantem id quod non est. Vasques: Imago est alicuius rei subsistentis seu possibilis similitudo. Idolum vero simulacrum rei minime subsistentis, nec possibilis. Simulachrum à simulando dictum, non à similitudine: esse itidem vt idolum, falsam imaginem. Et Bellarmini vestigiis hærens Richeomus tractatu de Imaginibus, quum probasse se putat Idolum significare rem nihili tum, *Quandoquidem*, inquit, *certum est nemine contradicente, Imaginis vocabulum significare similitudinem rei veræ & solidæ: Ergo Idolum & imago tam differunt, quam veritas & mendacium lux & tenebræ. Et qui vnum vsurpat alterius loco, idem facere, ac si veritatem mendacij nomine lucemque tenebrarum appellatione donaret.* Postea etiam simulacri nomen tum in Scriptura, tum apud prophanos autores, vsurpari pro ipso Idolo.

III. At

III. At Dauius haud paulo aliter. Imaginem esse genus: Idolum vero speciem. Omne enim Idolum esse imaginem, at non contra omnem Imaginem, Idolum. Nam Idolum ad imaginem addere falsitatis conditionem. Ideoque Imaginem tanquam genus sumi, cum in bonam, tum in malam partem: at Idolum, tanquam speciem, cui falsitas sit pro differentia; semper in malam. Grammatice etiam, εἴδωλον, etsi nunquam confundatur cum Imagine; tamen à peritioribus vsurpari pro spectris, à phantasmatis, & aliis simulacris falsis, vanis, & non habentibus subsistentibus.

IV. In hanc Dauij sententiam transit Richeomus in Idololatria Hugonotica. Nam eum qui Idolum tam late patere dicat, quam Imaginem, perinde dicere, ac si Auis & Buteonis nomina æquaret, id est, confundere speciem cum genere. Idolum enim nihil esse, quam speciem Imaginis, semper in malam partem, cum Imago possit in bonam sumi. Viderit Richeomus, quomodo aut secum aut cum suis consentiat. Nam certe, si imago est similitudo rei veræ, vt tractatu de Sanctis: & Idolum est species Imaginis, vt nunc, tum Idolum erit similitudo rei veræ: quod tamen Bellarminus non vult, ipse etiam non patiebatur. Tum autem si Idolum & Imago, sic se habent vt veritas & mendacium, vt lux & tenebræ, certe quomodo veritas, & lux, non sunt genera mendacij & tenebrum, sic Imago non potest esse genus Idoli.

V. Papistæ ergo ita sentiunt: At Catholici, vsum Grammaticum distinguunt à Theologico. Et Grammatice quidem Idolum atque Εἰκόνα sive Imaginem, originatione sua esse συνώνυμα, & ita sæpissime vsurpari. Deinceps tamen, aliquando Idolum peculiari modo, pro imagine non subsistente: ipsa, inquam, non subsistente, etiamsi alias rei subsistentis, & veræ: quo etiam sensu Imaginem ipsam sæpissime occurrere. Atque ita dici posse, nullum proprie discrimen esse Grammaticum earum vocum.

VI. At Theologice; ita factum sane, vt Idolum nunquam, quod quidem sciam, sumatur in bonam partem, non ipsius tamen vocabuli vitio, aut etiam significationis propriæ; sed vsus: atque adeo omnem Imaginem, quæ religiose culeretur, esse apud Catholicos significatam Idoli nomine. Ac proinde non esse Idolum Imaginis speciem; quomodo hominem animalis: sed æque late patere vtrumque vocabulum sua significatione, vsu tantum Idolum coarctari. Esse autem imperitissimos Dialecticæ, qui generis species faciunt accidentales. Nam sane nemo vnquam dixit lignum esse genus; eiusque speciem, lignum dolatum: etsi omne lignum dolatum, sit lignum: nec tamen omne sit lignum, sit dolatum. At nunquam, vllo ve casu, species cum suo genere reciprocari potest. Lignum autem dolatum, reciprocari potest cum ligno, eo ipso quod lignum omne dolari potest. Omnino ad eum modum; quia omnis Imago, religiose coli potest; imago esse Idolum: non potest imago esse genus Idoli. Porro simulacrum tam late patere certum est, quam Idolum, & Imaginem.

VII. De Idoli Etymo, id quidem facile. Deducunt omnes ἀπὸ τοῦ εἴδους, *à forma.* Tertullianus obseruauit cap. 3. de Idololatria, Εἶδος *Græce formam sonat: ab eo per diminutionem* εἴδωλον *deductum, atque apud nos formulam fecit. Igitur omnis forma, vel formula Idolum dici exposcit.* Cui fauet illud Achillis Tatij lib. 1. Τοῖς μὲν ἄλλοις τῶν ἀποθανόντων καὶ ἴχνη τῶν γνωρίσμάτων διασώζεται καὶ τὸ αὐθὶς πως τὴν τῶν προσώπων ἀπολείπει θρεῖ τὸ εἴδωλον, καὶ παρηγορεῖ τὴν λυπουμένην καθεύδοντα μιμούμενον. *Aliis mortuis saltem vestigia remanent, quibus agnoscantur. Et amisso etiam vultus flore, seruat idolum. flentemque solatur dormientis similitudine.* Nam hic manifeste εἴδωλον est εἶδος. Transcripsit Isidorus Hispalensis Tertullianum Originum libri 8. cap. 11. Et definiunt Idolum, Simulacrum, quod humana effigie factum & consecratum est. Sed Pamelius annotationibus in Tertullianum, emendat, quauis, pro humana. Nempe ex mente Tertulliani, negantis id solum idolum habendum, quod humana effigie sit consecratum. An etiam ex ipsius Isidori, incertum. Verumtamen illud etiam Tertulliani de diminutione, nutat. Nam quæ Grammatica? Imo qui vsus hanc diminutionis analogiam exhibet? Malim simpliciter deriuationem: vt ἀμφιπολὸς: vt apud Euripidem Helena: ἐδώλιον: Et sic censet Etymologus: ὡς ἕω, ἕωλος· φαίδω φαιδωλὸς, αὐτῷ αὐτωλὸς. Quanquam est sane cuique suum liberum iudicium.

VIII. Simulacrum eodem capite Isidorus à similitudine, *Simulacra,* inquit, *à similitudine nuncupata, eo quod manu artificis ex lapide aliave materia, eorum vultus imitantur, in quorum honorem finguntur.* Et Hieronymus in Psalmum 113. *Ideo dicitur simulacrum, quia ad similitudinem alicuius hominis mortui factum est.* Quantum id abest ab idolo? Imo Glossarium. Simulacrum, ἀπεικόνισμα, εἴδωλον, ξόανον. De imagine, quam Nonius similitudinem interpretatur: Græce autem dicitur εἰκών, non est necesse dicere. Sed iam, quam paruo interuallo distant Idolum, Imago, Simulacrum. Aut quis ab hac originatione non deprehendat facile notionis vicinitatem?

IX. Factum tamen, vt εἴδωλον leuiusculum quid sonet. Etymologicus. εἴδωλον, ἡ ἀπὸ τοῦ σώματος σκιειδὴς ἀπόρροια ἢ τὸ φάσμα, σκιῶδες ὁμοίωμα· ἢ φαντασία σώματος, σκιάπις ἀερώδης. *Idolum est quiddam fluens à corpore vmbra instar: vel visum, & ad vmbram accedens similitudo, vel phantasia corporis, vmbra quadam aera.* δεῖ οὖν νοεῖν ὡς φαντασίαν σωμάτων παρέχουσι τοῖς ὁρῶσι, ἃ μόνον ὑπόστασιν ἀληθῆ. *Intelligendum est Idola phantasiam corporum exhibere videntibus, at nihil vere subsistens.* Phauorinus. εἴδωλα, τὰ φαινόμενα τῷ ἀέρι φαντάσματα ἅπερ ἅμα τῷ φανῆναι ἀφανίζονται, ἄστατα ὄντα καὶ ἀβέβαια. *Idola sunt phantasmata, quæ apparent in aere, & simul ac apparuerint, euanescunt, quum nihil habeant solidi & firmi.* Glossarium. εἴδωλον, *Simulacrum, larua.* Vnde traductum nomen ad somnia. Apud Aristotelem de Insomniis legas τὰ φαινόμενα εἴδωλα καθεύδοντι. Item ad Imagines apparentes in corporibus læuibus, vt in speculis, aut vnda. Aristoteles de sensu & sensili, Δῆλον ὁ ὀφθαλμὸς ὁρᾷ μόνον, τῶν δ' ἄλλων οὐδὲν, οὐ οἷς ἐμφαίνονται τὰ εἴδωλα. Plato in Sophista, Δῆλον ὅτι φάσμα τε τε καὶ τοῖς ὕδασι καὶ κατὰ στερεὰ εἴδωλα· ἔτι καὶ τὰ γεγραμμένα, καὶ τὰ πεπλασμένα, καὶ τὰ ἄλλα ὅσα τοιαῦτα ἐστὶ πάντα: *appellari dicit Idola quæ in aquis, & speculis, quæq; picta expressaq; & similia.* Deniq; sic dictæ hæretes phantasiæ, & rerum visu apprensarum conceptus. Nysseaus de hominis opificio, cap. 11. Δι' οὗ τοῖνυν ὁ νοῦς τῶν ἔξω τοῦ σώματος ἐπιδεξάσθαι καὶ εἰς ἑαυτὸν ἕλκει τὰ φαινόμενα τὰ εἴδωλα. *Per hos oculos mens extranea apprehendit, & ad se trahit apparentium simulacra.* Et cap. duodecimo, ἡ ὄψις Δι' τῶν ἐμπιπτόντων τοῖς κόραις εἰδώλων πρὸς τὴν ἔσω ποιεῖται τῶν τύπωσιν, *Oculus per incidentia in pupulas simulacra, rerum formas interitus exprimit.*

X. Ita distincte. Nunc vero primum idolum pro imagine consistente, & non vana: atque adeo pro statua. Diodorus Siculus libro decimosexto: τρίτον δὲ Φιλίππου τὸ ἐν τῇ πομπῇ θεοφόρητον εἴδωλον. *Tertium decimum in pompa erat Philippi ipsius idolum.* Et quia gestabatur; ergo subsistebat: erat autem præsens ipse Philippus. Ælianus libri duodecimi capite sexagesimo quarto: Πτολεμαῖος εἴδωλον ποιησάμενος ὅμοιον Ἀλεξάνδρου κατεκόσμησεν ἐσθῆτι βασιλικῇ. *Ptolemæus idolum Alexandro simile veste regia ornauit.* Plutarchus Antonio. ἐν τῷ θριάμβῳ τῆς Κλεοπάτρας αὐτῆς εἴδωλον ἐκομίζετο, *In triumpho ipsius Cleopatræ idolum gestabatur.* Xiphilinus in Seuero, εἴδωλον τοῦ Περτίνακος κήρινον, *Cereum Pertinacis idolum:* τὸ εἴδωλον, ὅ τε Σεβῆρος, καὶ οἱ συγγενεῖς τοῦ Περτίνακος ἐφίλησαν, *Illud idolum tum Seuerus, tum Pertinacis cognati deosculati sunt.* Polybius libro decimotertio, εἴδωλον dicit formæ similitudine Nabidis vxorem arte eximia referens. Xenophon Commentariorum primo, Ὅπερ οὖν δοκοῦσιν οἱ ἀπεργαζόμενοι εἴδωλα ἄφρονα καὶ ἀκίνητα, ἀξιοθαύμαστα τέρατα εἶναι, ἢ οἱ ζῶντα ἔμφρονα καὶ κινητά. Dionysius Halicarnasseus Antiquitatum primo, Herculem narrat docuisse pro hominibus qui immolabantur Saturno, εἴδωλα ποιοῦντας ἀνθρώπινα, κεκοσμημένα τὸν αὐτὸν ἐκείνοις τρόπον ἐμβαλεῖν εἰς τὸν ποταμόν, *Idola facta humana forma, & ornata in illorum morem, inlicere in flumen.* Eodem libro: χάλκεα εἴδωλα τῶν ζῴων. Denique in eodem cum de Penatibus diis agit, κεῖται δὲ τῶν τρωικῶν θεῶν εἰκόνες: Et paucis interpositis, εἴδωλα τῶν θεῶν τούτων ἱδρυσάμεθα.

XI. Contra pro idolo. Glossarium, *Imago* εἰκὼν, εἴδωλον. Lucianus Dialogo Diogenis & Herculis: quod semel, ἐγὼ δ' εἴδωλον εἰμὶ αὐτοῦ, iterum dixit, ἐγὼ ἡ εἰκὼν αὐτοῦ. Plutarchus in quæstionibus Platonicis opponit τὰ σπερμάτια σώματα τοῖς εἰκόσι καὶ τοῖς εἰδώλοις. Cicero de Finibus primo, *Imagines quæ idola nominant.* Virgilius Æneidos secundo, *Visa mihi ante oculos & nota maior imago.* Petronius, *Quasi quodam monstro inferisque imaginibus turbatis.* Plato Politicorum sexto, λέγω δὴ πάσας εἰκόνας, πρῶτον μὲν τὰς σκιάς· ἔπειτα δὲ τοῖς ὕδασι φαινόμενα, ἅπερ καὶ τοῖς ὄσι παχέα τε λεῖα καὶ φανὰ ἐκφαίνεται. *Imagines appello primum vmbras: deinde quæ apparent in vndis: & in densis, lauibusq;, & lucidis.*

XII. Simulacrum pro idolo non subsistente. Virgilius Æneidos secundo quam imaginem appellat Creusæ, etiam simulacrum, *Infelix simulacrum, atque ipsius vmbra Creusæ.* Petronius, *Sufficiet simulacra virum traducere cymba.* Pro imagine subsistente frequentissimum. Cicero pro domo sua, *simulacrum multeris è marmore.* Isidorus Originum libri octaui capite vndecimo, *Simulacrorum vsus exortus est, cum ex desiderio mortuorum constituerentur imagines vel effigies. Asimilitudine nuncupatæ, eo quod manu artificis ex lapide, aliave materia eorum vultus imitantur, in quorum honorem finguntur. Iudæi dicunt, quod Ismael primus simulacrum luto fecerit. Gentiles autem primum Prometheum simulacra hominum de luto finxisse perhibent.* Neque alio referri potest Tertullianus Apologetici, c. 12. *Quantum autem de simulacris ipsis, nihil aliud deprehendo, quam materias sorores esse vasculorum instrumentorumque communium.*

XIII. Nec Theologi alieni ab hoc vsu promiscuo. Primo εἴδωλον pro imagine simplici, id est extra idololatriæ rationem. Athenagoras legatione pro Christianis, ἀμφὶ δὴ χρόνον ὀλίγον ποσῶτος τῆς εἰκόνος, καὶ τῇ αὐθὶς τὰ εἴδωλα πρωγματείᾳ, *Adeo recentes sunt imagines, & idolorum artificium.* Clemens Alexandrinus initio Protreptici. Videntur, inquit, Orpheus Thracius, & Arion Methymnæus τοῖς ἀνθρώποις ἐπὶ τὰ εἴδωλα χειραγωγῆσαι πρῶτοι. *Homines primum induxisse ad idola:* καὶ μὲν λίθοις καὶ ξύλοις, τοῦτ' ἔστιν ἀγάλμασι καὶ σκιαγραφίαις αὐοικοδομῆσαι τὸν σκιόεντα τοῦ ἤθους, *Saltem lapidibus & lignis id est, statuis, & imaginibus, Gentis stoliditatem fulcisse.* Imo recentissimus, & Papista Dominicus à Soto in primum ad Romanos. *Idolum idem est quod simulacrum. Cum vero sensuales homines, imagines sensibus obiectas, tanta veneratione susciperent, data inde occasione dæmonia illuc ingressa, responsa dare cœperint.*

XIV. Imaginem pro Idolo frequentissime, Theophilus ad Antolycum. αἱ δὲ εἰκόνες αὐτῶν τὰ καθ' ἡμέραν ἕως τοῦ δεῦρο οὕτω ποιοῦσαι εἴδωλα, *Eorum imagines quotidie huc vsque fiunt idola.* Eusebius libro 3. de Præparatione, τοῦ Θεοῦ τὰς δυνάμεις Δι' εἰκόνων συμφύλων αἰσθήσει ἐμιμήσατο. Trapezuntius vertit, *Deum & Dei virtutes per sensibiles significarunt imagines.* Clemens Protreptico, οἷαι δὴ καὶ ἄλλαι ὑμῶν εἰκόνες. *Cuiusmodi autem vestræ sunt reliquæ imagines?* σκιαὶ χωίσθε, φυλάττετε δὲ ἐπὶ μᾶλλον ἀνακείμενα, ἅπερ ἀμέλει τῶν Θεῶν ὑμῶν τὰς εἰκόνας σήλας ἀναιχνίας καθιερώσαντες. *Non erubescitis: quin potius reposita seruatis, quasi Deorum vestrorum imagines, titulos impudentia consecrantes.* Nazianzenus oratione 34. quæ est secunda de Theologia, οἱ δὲ ὅν τύχοιεν ἕκαστος τῶν ἐρατῶν ἐπεδίδοσαν, ὧν ἐώρων τὰ κάλλιστα θεῶν ἀποτελέσματα· εἰσὶ δὲ οἱ καὶ εἰκόνας καὶ πλάσματα, πρῶτα μὲν τῶν οἰκείων, οἵ γε τῶν παιδικῶν καὶ συμμαχικῶν προσ, καὶ τιμῶντες τοὺς ἀπελθόντας τοῖς ὑπομνήμασι· ἔπειτα καὶ τῶν ξένων. *Alij denique quicquid ex rebus aspectabilibus temere occurrit, coluerunt, pulcherrima eorum quæ cernebant, pro diis sibi constituentes. Nec defuerunt, qui imagines, & figmenta primo quidem suorum, ij nimirum, quibus vehementiores affectus erant, & in corpora magis proni, quique vita functos monumentis honorarent: deinde etiam alienos.* Epiphanius præfatione in Panarium, de initiis Idololatriæ. ἄλλοι δὲ οὐ ξοάνοις, καὶ οὐ τορείαις λίθων ἢ ξύλων ἢ ἀργυροτεύκεσιν, ἢ χρυσῷ, ἢ ἄλλης πινὸς ὕλης πεποιημένοις, μόνον δὲ Δι' χρωμάτων καὶ εἰκόνων τὴν αὐθέντου θεότητα ἐφ' ἑαυτῇ ἴνδεικτοῦ τὸν κακίαν. *Nondum in statuis, aut tornatis lapidibus, aut lignis, aut argento, aurove, alia ve qua materia fiebant: sed solis coloribus, & imaginibus, mens hominis sibi malum inuenerat.* Theodoretus in 1. ad Romanos, *Rei veritatem vocat nomen Dei, mendacium autem manufactam imaginem.*

XV. Sic Latini. Tertullianus Apologetici capite decimo sexto, *Imaginum suggestus* dicit: vigesimo secundo, *simulacris imaginibus oblata,* De spectaculis capite 12. *In quorum nominibus, & imaginibus, & historiis fallaciam consecrationis sibi negotium actura constituerant.* De Idololatria quarto. *Eorum imagines idola.* Cyprianus de Idolorum vanitate.

Inde illis instituta templa: inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra. Ad Martyras secundo. *Non vides alienos Deos? non imaginibus eorum incurris?* Lactantius primi vigesimo. *Virtus colenda est: non imago virtutis. Quid tantos sumptus vel fingendis, vel colendis imaginibus impendere?* Secundi secundo. *At enim præsentes non nisi ad imagines suas adsunt.* Minutio in Octauio itidem sæpissime imagines nominat.

XVI. At contra Bellarminus disputans: Scriptura nusquam tribuit nomen Idoli, vlli veræ imagini; sed solum simulacris Gentium, quæ falsos Deos referebant. Sed hoc est falsum. Nam Hebraice nullum est nomen proprium, quo idolum significetur: itaque generalia vsurpatur, vt פסל vt תמונה; vel metaphorica alia quædam: & idolis per contemptum, vel exsecrationem imposita. Quod attinet ad nouum Tastamentum: id constat, non vsurpari Idolum nisi in malum partem. Sed constat etiam eadem notione vsurpari imaginem à Paulo ad Romanos primo.

XVII. Secundo Scriptura Testamenti veteris, inquit Bellarminus, idola vocat ordinarie אלילים Leuitici decimonono, & vigesimosexto. אונים Numerorum vigesimo tertio, Oseæ sexto. At אליל significat *vanum, falsum:* און *mendacium*: Hieronymus etiam in 7. Oseæ notat vocari שקר *mendacium.* Vides semper idolum aliquid falsi significare. Denique Habacuc secundo, *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam* Vbi clarissimè definitur idolum *Imago falsa.* Cui simile est, quod ait Plato in Theæteto: ψεύδη καὶ εἴδωλα σφόδρα πλείονα ποιησάμενοι ἢ ἀληθοῦς: *mendacium & idola plurus faciunt, quam veritatem.*

XVIII. Respondeo primo, שקר און אליל non esse nomina propriè idolum significantia: sed epitheta idolis imposita: itaque non pertinere ad significationem vocabuli idoli: sed ad naturam eorũ quæ idola erant, id est, etiam imaginum, siue פסל & תמונה. Secundo, ea ipsa epitheta, imposita esse non ex eo quod ab idolo significetur: sed ex malo idolorum vsu. Nam omnis imago quatenus religiose colitur, docet falsum; nempe falsam religionem. Tertio, locus ex Habacuc distortus est ab Interprete. Veritas Hebraica, *Quid prodest sculptile? nam sculpsit ipsum formator eius, conflatile, & doctorem mendacij.* Vbi non definitur idolum, imago falsa: sed asseritur docere falsum. Quinquam non idolum Propheta dixit, aut אליל, aut און aut שקר, sed פסל *sculptile*, generalius certe nomen, quam vt contineat solas imagines falsum quid significantes.

XIX. Quod ad Platonem attinet facile negotium: Nam is omnem imitationem, falsitatis arguit, 10 Politicorum, πόρρω ἄρα ἢ ἀληθοῦς μιμητική ἐστιν, *Imitatio procul est à veritate.* Ad imitationem vero referuntur imagines. Aristoteles Topicorum sexti secundo εἰκώνισιν, ἃ ἡ γένεσις ἀφ' μιμήσεως, *Imago est id quod fit per imitationem.* Non est igitur apud Platonem ea distinctio idoli & imaginis. Præterea idolum falsum dicitur: non autem falsum significans: imo etsi verum aliquid significet, tamen est falsum. Id enim significat idolum non esse ipsum id quod significat. Etymologicus, in idolo, ὁ ποιητὴς ἐστι τῆς αὐτοκλείας, τῆς δέ μοι οὐκ χειρῶν σκιᾷ εἴκελον, ἢ καὶ ὀνείρῳ ἔπεσι τοῦ αὐτὸς ἢ ὑπόστασις, ἢ ἀλήθεια. Sensus est idolum dici vmbræ, siue somnio simile: eum autem cuius id idolum erat, esse illius ὑπόστασιν, & veritatem. Et sane τὰ εἴδωλα dicebantur πεπλασμένα. Etymologicus in Iconio, εἰκαξηραθείσης τῆς γῆς ὁ Ζεὺς ἐκέλευσε τὸν Ἑρμῆν καὶ τὴν Ἀθηνᾶν εἴδωλα ἀφ' πλάσαι, οὐ ἢ πηλοῦ. At τὸ πλάσαι quis nescit translatum ad mendacium itidem vt fingere?

XX. Tertio Bellarminus: Pauius prioris ad Corinthios 8. *Scimus quia idolum nihil est in mundo.* Nempe quia licet sit aliquid secundum materiã, tamen nihil est formaliter, cum id repræsenter quod nihil est, & proinde nec vere repræsentet. & consequenter nec sit. Cui loco alium similem adducit Hieronymus in caput 7. Oseæ: ex 24 Esther secundum Septuaginta *Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt, id est, idolis.*

XXI. At, inquam, Chrysostomus Pauli locum exponens, ποῖον δὴ τοῦτο; ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ, ὅτι οὐδεὶς θεὸς ἕτερος εἰ μὴ εἷς, οὐκ ἔστιν οὖν εἴδωλα, οὐκ ἔστι ξόανα, ἐστὶ μὲν ἀλλ' οὐκ ἔχει ψυχὰ ἰσχύν. οὐδὲ θεοί εἰσιν, ἀλλὰ λίθοι καὶ δαίμονες, *Quid hoc est? Nihil idolum in mundo: quia nullus Deus alius præter vnum? Non sunt igitur idola: non sunt statuæ? Sunt quidem: sed nullam vim habent, neque dii sunt: sed lapides, & dæmones.* Theodoretus, *Sic idola esse inanima, & nullo sensu prædita.* Ambrosius, *Scimus, quia simulacrũ nihil est: & quia nemo Deus nisi vnus. Verum est, apud Christianos enim vnus est Deus. Licet sint qui dicantur dii & domini, siue in terra. A paganis enim, & sol, & luna, & cætera sidera dii cœlestes dicuntur in terra Apollinem, Æsculapium, Herculem, Mineruam deos dicunt, & dominos.*

XXII. In his obserua: primo à Chrysostomo εἴδωλα, & ξόανα pro eodẽ sumi. At certe ξόανα nemo disputat nihil repræsentare. Est enim generale vocabulum omnibus dolatis imaginibus. Si ergo hæc nõ propterea sunt nihil significent, quod subsistat: Ergo neq; idola. Secundo ex Ambrosio, idola illa quæ nihil sunt, sunt in cœlo Sol, Luna, Sidera. At hæc non ideo nihil sunt, quod nihil significent. At si idola illa apud Paulum nihil significent: & Sol, Luna, Sydera non significent nihil: Ergo contra Ambrosium, Sol, Luna, Sydera, non sunt idola, de quibus Paulus loquebatur. Aut si Sol, Luna, Sydera non nihil significent: & sint tamen idola, de quibus Paulus loquitur, Ergo idola, de quibus Paulus loquitur, non significant nihil hoc est, nõ ideo nihil sunt, quod nihil significẽt. Quid ergo? nempe recte Chrysostomus, *Nullam vim habent: neq; dij sunt.* Id autem non est, nihil significare. Itaque Augustinus contra Faustum lib. 1. cap. 5. de Paganis. *Illi ea colunt quæ sunt, sed pro diis colenda nõ sunt: Sunt enim & idola, sed ad salutem nihil sunt. Et qui colit arborem, non quidem arando, sed adorando, non id colit, quod nusquam est: sed quod ita colendum non est. Ipsa etiam dæmonia, vnde dicit Apostolus, quæ immolant Gentes dæmoniis immolant, & non Deo: vtique sunt, quibus illos immolare dicit, & quorum socios nos esse non vult. Iam vero cœlum, & terra & mare, & aer, & Sol, & Luna, & cætera sydera, omnia hæc manifesta occulis apparent, atque ipsis sensibus præsto sunt. Quæ cum Pagani tanquam deos colunt, vel tanquam partes vnius magni Dei, ea colunt quæ sunt. Cum quibus quando agimus, vt ea non colant, non eis dicimus quod nulla sint, quod colenda non sint.* Hæc vero non egent interpretatione. Colebant Ethnici Solem, sub Apollinis idolo. Ergo idolum Apollinis significabat Solem: similiter Dianæ, Lunam. At Augustinus negat Christianos Paganis exprobrasse, Solem non esse, Lunam non esse: aut eo argumento vsos, vt dissuaderent ab eiusmodi cultu. Quid igitur nostris Papistis aliter nunc videtur? Nam certe si Apostolo nihil significat, & significat solem, tum solem oportet esse nihil. Sufficiat Catholicis; Idola nihil esse, vel quia nihil sunt ad salutem, vel quia non sunt Dij, vel quia nihil possunt. Illud autem quia nihil significent, sibi pro idolo habeant Iesuitæ, habeant quidquid est Papistarum. Sic enim Catholicis, & Petri imago, & Pauli, & Virginis, & Michaelis, nihil erit in mundo, ac propterea idolum, si adoretur.

XXIII. Quarto Bellarminus B. Hieronymus, in c. 2. Habacuc, & in 13. Zachariæ, confert hæreses cum idolis, quia vt idolum est falsa imago; ita hæresis est falsa imaginatio.

XXIV. Respondeo hæc esse Hieronymi verba, ad Abacuc, *Legimus in Deuteronomio: Maledictus omnis qui fecerit sculptile, & conflatile, opus manuum artificis, & posuerit illud in abscondito. Sculptile atque conflatile reor dogmata esse peruersa, quæ ab his, à quibus ficta sunt, adorantur.* Ad Zachariam, *Sicut idola fiunt manu artificis, ita hæreticorum peruersa doctrina, quodcunque simulauerit vertit in idolum, & facit pro Christo adorari Antichristum.* Hic mihi nota. Primum hæreses non tantum appellari idola: sed etiam sculptile, & conflatile, & quidem eodem sensu. At non propterea Bellarminus concludet sculptile & conflatile, nihil significare. Quî magis idolum necesse erit? Secundo, comparari hæreses idola quatenus quemadmodum idolum adoratur ab eo à quo factum est: sic hæresis ab eo à quo ficta est. At nusquam Hieronymus dixit, quia idolum nihil significet ad nostram mentem, qui idolum definimus imaginem adoratam. Itaque Bellarminus abit ab Hieronymi mente.

XXV Quinto Bellarminus arguit ex ipsa vocis proprietate, quia dolum propria & primaria significatione designet imaginem inanem. Probat primo, quia Tertullianus dixit esse diminutiuum. Significare igitur formam paruam, non quantitate, sed perfectione. Secundo, autore Eustathio in vndecimum Odysseæ, idolum esse proprie imaginem, vt in vmbra hominis, vt phantasmata, quibus nihil respondet in re, vt spectra & vmbræ mortuorum, quæ videntur esse solidæ; re vera sunt inanes.

XXVI. Sed Bellarminus supponit falsum. Nam vocabulorum proprietas vel est à deriuatione, vel ab vsu. At à neutro hæc, quam ille supponit. Non à deriuatione, quia deducitur, vel ἀπὸ τοῦ εἴδους, vt vult Tertullianus, vel ἀπὸ τὴν εἶδω τοῦ ὁμοιοῦ, vt vult Etymologicus. At neutra originatio designat imaginem inanem: sed simpliciter imaginem quamlibet, vt etiam Tertullianus disserte: *omnis forma vel formula idolum dici exposcit.* Non etiam ab vsu. Nam ego multos ante citaui, qui pro imagine vsurparunt idolum. Ii si non sufficiant, addi possunt innumeri: Herodotus Clio. *Alia donaria promiscua multa misit Cræsus, fusiliaque argentea orbicularis forma,* καὶ δὴ καὶ γυναικὸς εἴδωλον χρύσεον τρίπηχυ· Δελφοὶ τῆς δεσποίνης τῆς Κροίσου εἰκόνα λέγουσι εἶναι: ἐπὶ *mulieris addunt idolũ aureum tricubitale, quod Delphi esse dicunt imaginem pistricis Cræsi.* Idem Erato, funus describens Regum Lacedæmoniorum: ὃς αὖ ἐν πολέμῳ τῶν βασιλέων ἀποθάνῃ, τούτου δὲ εἴδωλον σκευάσαντες, ἐν κλίνῃ εὖ ἐστρωμένῃ ἐνφέρουσι, *Qui in bello rex obierit, ei idolum exstruunt, inique cubili pulcre strato efferunt.* Arianus Epicteti libro primo, capite vndetrigesimo, αὖ τις εἰδώλου προσαγάγῃ. Schegkius reddit, *Si quis sua propria specie repræsentatum adduxerit.*

XXVII Ad primam Bellarmini probationem, primo respondeo Tertullianum falli: vt antea dictum: nec sane vnquam quenquam autorem repertum vsum idolo vt diminutiuo. Deinde negatur consequentia: nam ipse Tertullianus, etsi diminutione factum dicat, tamen asserit idem, significare non tantum formulam, sed etiam quamuis formam. Tertio formam paruam perfectione, prima hæc audiunt tempora, primi dixerunt Iesuitæ. Imo diminutiua omnia significant, quæ primitiua, sed tantum minora quantitate. Quarto, perfectionem imaginis, quis vnquam quæsiuit in re significata? & non potius in ipsa imagine?

XXVIII. Ad secundam imponit Eustathio Bellarminus: nec enim ille τοῦ εἴδωλου propriam significationem indicat hanc esse: sed tantum diuinasse Ethnicos, ex idolis in aere apparentibus. Dixerat Homerus animas circa Vlyssem congregatas: αὐτὰρ ἀγείροντο ψυχαὶ ὑπὸ γῆς ἐξ ἐρεβέσφι νεκύων καταπεφθιμένων: ille adnotat. Ἴσως ὅτι φαντάσματα οἷα τὰ τοιαῦτα τοῦ Ὀδυσσεῖ. *Sciendum hæc Vlyssi fuisse phantasma,* ἐπεὶ καὶ κλῆρος οἷα Ἑλληνικὸς, τὰ ἀέρα εἴδωλα τῶν τεθνεώτων σκιώδη καὶ ἀμυδρὰ ἐκματτόμενοι, καὶ ὡς οἷον ἐν σκιαγραφίᾳ εἰκονικῇ τυποῦσι, φαντάζειν ὅπερ τοὺς βλέποντας, *Quandoquidem genus erat diuinationis Græcis, quum aer exprimens idola mortuorum instar vmbræ, & euanida, sicque figurans, vt solet, quum imaginum prima lineamenta ducuntur, illudit videntibus.* Hic vero primum obserua Eustathium nullam exponere idoli significationem, nedum propriam, vt videri Bellarminus voluit. Secundo non simpliciter idola nominare, sed additis Epithetis, σκιώδη καὶ ἀμύδρα: quasi diceret non omnia idola esse eiusmodi.

XXIX. Dauius addit testimonium Theodoreti, quæstione in Exodun. 13. *Idolum nihil repræsentat, quod subsistat: similitudo vero est alicuius imago & effigies. Quum ergo Græci quidam formas minime subsistentes effingunt, veluti Sphingas, Fritonas, & Centauros, Ægyptij vero Κωκοδρίλους, Bucephalos, tales rerum non subsistentium fictiones, idola vocat. Similitudines autem, rerum subsistentium imagines, veluti Solis, Lunæ, stellarum, hominum, belluarum, reptilium, & his similium.*

XXX. Sed Theodoretus (si ea Theodoreti mens est) ab omnibus Græcis autoribus in eius vocis significatione discedit: non tantum ab iis qui promiscue vtuntur imagine & idolo, sed etiam ab iis qui idolo contractus, pro imagine vana. Nam hi idolum asserunt esse earum rerum, quas Theodoretus subsistentes appellat. Certe Eustathius illo ipso loco paulo ante citato, idola in aere, dicit esse senum, vulneratorum, & similium, ἅτε σκιᾶνα βλέπτε θαι, ὁ καὶ ζώντων φαίνετο, *adeo vt eadem videantur, quæ eorundem viuentium apparebant.* Porphyrius apud Stobæum Eclogarum Physicarum libr. 1. de statu animarum post exitum, ὑποπίπτειν τοῖς εἰδώλοις τοῖς ἐν τοῖς κατόπτροις φαινομένοις ὁμοίας, καὶ τοῖς ἀφ' τῶν ὑδάτων σωιζομένοις, ἃ καθάπαξ ἡμῖν ἐξείκασται· καὶ τὰς κινήσεις μιμεῖσθαι

μετὰ τῶν στιγμάτων δὲ ὑπόστασιν εἴδωλον ἔχει εἰς ἀπάλειψιν, καὶ ἀφλοῖ, *Ponit animas imaginibus speculorum vel aquarum similes, quæ vt planè nos exprimunt, ac motus imitantur, ita solidam naturam ad contractum non habent.* Audin', exprimere nos? quomodo ergo sint rerum, quæ non subsistant? Audin' ipsa idola, οὐκ ἔχει ὑπόστασιν στιγμάτων? Et verò Græcè Theodoretus εἴδωλον οὐδαμῶν ὑπόστασιν ἔχει. *Idolum, nullam habet existentiam.* Interpres vertit, *nihil repræsentat quod subsistat:* delusus, opinor, ex sequentibus. Atqui in sequentibus Theodoretus, non exponit quid idoli, & imaginis vocabulis significetur, sed tantùm in secundo legis mandato, quænam differentia sit idoli, & imaginis. Nam vtrumque Septuaginta expresserant. Itaque *idola vocat*, inquit, non Græci, paulo antè nominati, debuerat enim dicere, *vocant*, sed nimirum legislator. Itaque hæc non significatio est vocabuli: sed peculiaris eius loci vsus.

XXXI. Supersunt de Simulacro argumenta Bellarmini: vt eo probet significari idolum, id est vanam imaginem: atque adeo non à similitudine deriuari, sed à simulando. Primum, quia in Scripturis simulacra vbiq; ponuntur pro idolis. Nam semper vbi Latinus interpres posuit *simulachra*, in Græco est εἴδωλον. Actorum 15. Psalmo 114. prioris Ioannis vltimo, & alibi semper. Secundò Beatus Augustinus in Psalmum 135. dicit Latinos ea simulacra vocare, quæ à Græcis dicuntur idola. Et Hieronymus Oseæ 7. sic opponi simulacrum Deo, quomodo mēdacium veritati: quia simulacrum, deum falsum refert. Tertiò, Lucretius libro 4. & Virgilius 4. Georgicor. & 6. Æneidos, mortuorum vmbras passim simulacra appellat, vt Homerus, & Lucianus Idola.

XXXII. Respondeo, primo illud de originatione esse futile. Nihil enim interesse, vtrum à similitudine, an à simulando, Simulacrum dictum sit. Quia vtriusque significatio eadem. Cicero Epist. 7. lib. 9. ad Atticum, *Hic ego vellem habere Homeri illam Mineruam simulatam Mentori.* Homeri locus Odysseæ 2. ἦλθεν Ἀθήνη Μέντορι εἰδομένη. Virgilius Æneidos 3. *Paruāq; Troiam, simulataq; magnu Pergama, & arentem Xanthi cognomine riuum, Agnosco* Horatius de arte Poetica *Fortasse cupressum scis simulare.* Et Epist. 1. lib. 2. *Aera fortis Alexandri vultum simulantia.* Quid plura? Macrobius Saturnalium lib. 1. c. 7. *Oscilla ad humanam effigiem arte simulata.* Et hæc oscilla, postea c. 11. simulacra appellat. Deniq; simulacrum, qui à similitudine deducunt iidem etiam à simulando. Isidorus Originum 8. c. 11. *Simulacra, vel pro eo quod sunt similia, vel pro eo, quod simulata atq; conficta.* Imo Lactātius, qui, teste Bellarmino, dicit lib. 2. de Origine erroris c. 2. simulacrum dici à similitudine: idem c. 19. simulacra disputat carere religione, *Quod quidē*, inquit, *de nomine ipso sapienti apparere potest. Quicquid enim simulatur, id falsum sit necesse est.* De originatione igitur nominis seculi, negamus tamen simulacro significari tantum vanam imaginem, & nihil veri significantem.

XXXIII. Ad primam probationem è Scripturis, primò nulla consequentia. Enimuero, quis nescit in Scriptura, multa vocabula vsurpari præter propriam, natiuamq; significationem. Deinde, quid illud, simulacra vbiq; ponuntur pro idolis? Rem-ne intelligit, an vocabulum? Si rem, vt nunquam simulacrum occurrat, nisi ad significandum idolum, id est, id quod alias Scriptura solet idoli nomine designare: id verò falsum. Nam 1. Samuel. c. 19. *Inuentum est simulacrum*, non idolum dei alicuius falsi: quis enim credat aliquod eiusmodi Dauidem domi suæ habuisse? sed effigiem hominis forma Hebraicè תרפים Græce κενοτάφια. Sin autem vocabulum: rursus falsum. Nam Actorum 13 σταδιόμματα. Exodi 34. לא תעשה לך, τοῖς θεοῖς αὐτῶν. Leuitici 26. אתם-חמנים, τὰ ξύλινα χειροποιητὰ ὑμῶν. Numer. 23. עמל יעקב. Primi Regum 15. את-גפל עצתה, τὰ καταδύσεις αὐτῆς. Paralipomenon 2. 23. ואת-צלמיו, καὶ τὰς εἰκόνας αὐτοῦ. Et 31. המצבות, τὰς στήλας. His locis omnibus, Latinus intetpres simulacri nomine vsus est, quāquam Græce idolum nusquam nominetur. Et poterit diligens lector multos alios locos addere si opus sit.

XXXIV. De Augustino facile negotium. Nam τὰ εἴδωλα dici Latine simulacra, neq; negandum nobis, neque Bellarmino demonstrandum. Sed quid tum? an propterea nullum simulacrum significat aliquid veri? Primò, non certa consequentia. Nam idem simulacrū significat etiam καὶ τὰς εἰκόνας. Et has significare aliquid verum, Bellarminus consentit. Ergo & simulacra concedat, necesse est. Deinde ipsa idola significant aliquando aliquid verum. Ergo si quædam simulacra sint idola, aut saltem quædam idola: quædam igitur simulacra significabunt quid subsistens.

XXXV. Hieronymus, simulacrum Deo dicit opponi, sicut mendaciū veritati. Ita est sanè: nec tamen conclusionis vis vlla. Non enim, quia deum falsum significent, neq; enim ita Hieronymus habet: imo causam nullam reddit. Cur ergo Bellarminus comminiscitur: nec comminiscitur tantum: sed etiam suum commentum affingit Hieronymo? Quanquam non nego simulacrum apud Ethnicos deum falsum significasse: sed omne idolum, deum falsum significare, hoc verò nego. Ratio vniuersalis hæc: potius: quia idolum omne, omne simulacrum, omnis imago est aliquid falsum, eo ipso quòd idolum est, & simulacrum, & imago: etsi aliàs rem veram significent, & subsistentem: nimirum, quia videntur id, quod non sunt. De mortuorum vmbris Lucretij, & Virgilij, nihil est necesse dicere.

CAP. X.

An omnes imagines prohibeantur secundo mandato.

I. HIs positis, iam de ipsius mandati mente agendum. Nam Papistæ contendunt in eo prohiberi idola, id est, non omnes imagines: sed tantum idola Paganorum, scilicet, falsa, & nihil significantia, quod sit in rerum natura. At Catholici statuunt omnes omnino imagines, quæ verè, & propriè imagines sunt: atque ab hominibus factæ, institutæque, disertis verbis contineri. Argumenta habent tria. Primum, à vocabulis Hebræis: secundum ab enumeratione rerum, quarum prohibentur imagines: tertium, ab autoritate Veterum. Quanquam ita est perspicuum, vt Vasques c. 2. disputat. 104. in 3. Thomæ, non potuerit non esse asserere, omnem imaginum vsum veteri lege fuisse sublatum.

II. Primum ergo est à vocibus פסל ותמונה, quibus Moses vsus est. Nam פסל nomen est, cuius originatio à verbo, quod significat sculpere. Koque vsus est Deus, cùm præcepit Mosi vt conficeret sibi duas tabulas ad scribendam legem. Exodi 24. Kimchi in radicibus dicit eo nomine significari פסילת האבנים ברוב, *sculpturam lapidum, vt plurimum*, וכן על העצים, *item lignorum.* Ab Interpretibus Bibliorum Græco, & Latino, variè vertitur. Idolum à Septuaginta tribus tantum locis. In hoc præcepto: & 2. Paralipomenon: & Esaiæ 30. A Latino, tum hic, tum Deuteron. 12. & Iudicum 3. Γλυπτὸν ὁμοίωμα, *sculptam similitudinem.* Deuteronomij 4. At Deuteronomij 7. & 12 γλυπτὰ τῶν θεῶν. Altàs autem γλυπτὸν, *Sculptile*, simpliciter. Leuitici 26. Deuteronomij 5. Iudicum 17. 18. Secundi Chron. cor. 33. & 34. Psalmo 78. & alibi sæpissimè. Ἄγαλμα, Esaiæ 21. Εἰκὼν, Esaiæ 40.

III. Alterum nomen est תמונה. De quo sic Kimchi, in radicibus; המובן בחושים: ומפורש גם בן על צורת המלה הזאת נופלת על צורת הד בר השכל שלא יובן בא חדן מן החושים כי אם בשכל ועל תכניתו *Hoc nomen significat formam rei, & figuram eius, quæ percipitur sensibus. Significat etiam formam intelligentiæ, quæ non percipitur vllo sensu, sed intelligentia.* Et autor Concordantiarum, כל לשון תמונה שענין תאר וצורא, *Significat & formam effigiem.* Itaque redditur ὁμοίωμα. Et Latinè, *Similitudo*, Deut. 5. Exod. 20. in hoc ipso mandato, & Psal. 17. Item μορφὴ. Iob. 4. *Forma* Deut. 4. *Figura.* Numer. 12. *Imago.* Iob. 4. Quin etiam quod Exodi distinctè פסל & תמונה. Deuteronomij 5. פסל כל תמונה, *Sculptile cuiuslibet similitudinis.* Quanuis distinctè Græcè γλυπτὸν ἐδὲ παντὸς ὁμοίωμα. Latinè, *sculptile, neq; similitudinem omnium.* Cùm tamen rectiùs Deuteron. 4. γλυπτὸς ὁμοίωμα, *Sculptam similitudinem.* Præterea Deuteronomij 5. וסמל additur מורה שפירושו צורה, inquit autor Concordantiarum, *Cuius interpretatio forma qualibet.* Kimchi in radicibus, אי כלל לכל ענין הפסילים והאלילים ותכן צורות להיות עקר המלה צורה מן הצורות, *Sensus, sculptilia, idola. Sed aptius, vt sit fundamentum imaginis, siue genus omnium imaginum.* Et addit argumentum ex ipso contextu, quia dictum וכל סמל תמונת. Dauid de Pomis exponit: *Imago, simulacrum, effigies.* Et sanè à Septuaginta redditur εἰκὼν. Ezechielis 8. versu 5. Et γλυπτὸν posterioris Chronicorum 33. v. 15. Et χωνευτὸν versu septimo. A Latino *Idolum.* Ezechielis 8. versu 5. Simulacrum posterioris Chronicorum 33. versu 15. *Conflatile signum*, versu 7.

IV. Ex his omnibus perspicuum fit argumentum, Omnis פסל, & omnis תמונה, & omnis סמל prohibetur hoc præcepto. At omnis imago, similitudo, simulacrum, idolum, sculptile, fusile, est פסל & תמונה & סמל. Ergo omnis imago, similitudo, simulacrum, idolum, sculptile, fusile prohibetur hoc præcepto. Adde: at Dei, & Sanctorum illæ repræsentationes, quas admittunt Papistæ, sunt, si non idola, certe imagines, similitudines, simulacra, sculptilia, fusilia: Ergo, & ipsæ prohibentur hoc præcepto.

V. Secundum argumentum: Prohibentur omnes similitudines rerum quæ in cœlo, & in terris, & in vndis. Ergo & Dei, & Sanctorum. Nam Deus, & in cœlis est, & in terris, & in vndis: Sancti autē in corpore, terras incolunt exuti autem cœlum. Et notandus præcepti stylus. Nam prohibentur imagines, non quæ in cœlis ipsæ, aut in terris, aut in aquis: sed rerum quæ sunt in cœlis, in terris, in aquis: vbi manifestè ostenduntur imagines censendæ ex rebus, quas significant. Hæ autem res si sunt in cœlis, in terris, in aquis, sine dubio sunt. Nam si non sunt: Ergo nullibi sunt, ac proinde, neq; in cœlis, neque in terris, neq; in aquis. Itaq; hoc præcepto prohibentur, non idola, quæ nihil significant: sed imagines, quæ significant aliquid in rerum natura.

VI. Tertium argumentum ab autoritate Veterum. Et quia Iudæis primò lex fuit data, videamus apud eos quomodo intellecta fuerint legis verba: quomodo item obseruata. Philo lib. de Decalogo, dicit secundum mandatum esse, ἀφεῖ ξόανον, καὶ ἀγάλματον, καὶ σκιωδῆ ἀφιδρυμάτων χειροποιήτων. Iosephus Antiquitatum lib. 3. cap 4. ὁ δὲ νομοθέτης κελεύει, μηδενὸς εἰκόνα ζώου ποιήσασθαι τοῦ σκιωδοῦς. Nihil potest dici generalius, ξόανα, ἀγάλματα, ἀφιδρύματα, εἰκόνες. Neuter, τὰ εἴδωλα.

VII. Atque adeò testantur illos Christiani abhorruisse ab omni genere imaginum. Tertullianus contra Marcionem lib. 4. cap. 22. *Facile est*, inquit, *amentiam Petri probare. Quomodo enim Moysen, & Heliam cognouisset nisi in spiritu? Non enim imagines eorum, vel statuas populus habuisset lege prohibente.* Perspicuè. Non poterant Iudæi habere imagines Mosis & Heliæ propter legis prohibitionem. At illæ non erant falsorum Deorum. Et Apologetica c. 16. negat vllum reperiri potuisse simulacrum in templo Hierosolymitano, *Et vtiq*, inquit, *si id colebatur, quod aliqua effigie repræsentabatur, nusquam magis quam in sacrario suo exhiberetur.* Chrysostomus 3. contra Iudæos, ἅπαν εἴδωλον, καὶ πᾶν ὁπτόμενμα ἀνθρώπου βδέλυγμα ὠνόμαζον παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, *Omne simulacrum, & hominis effigies apud Iudæos appellabatur abominatio.* Origenes contra Celsum 4. παρ' οἷς οὐδὲν ἄλλο θεὸς νενόμισται, ἢ ὁ ἐπὶ πᾶσι. καὶ οὐδὲν τῶν εἰκόνας ποιούντων ἐν πολιτείᾳ. ὅτι γὰρ ζωγράφος. οὐτ' ἀγαλματοποιὸς οὐ τῇ πολιτείᾳ αὐτῶν ἦν, οὐδ' ἄλλος τῶν τὰς τοιαύτας ἀπ' αὐτῆς τῆς νόμου, ἵνα μηδεμία προφάσις ἢ τῶν ἀγαλμάτων κατασκευὴς τοὺς ἀνθρώπους ἐπὶ πολλὴν, καὶ καταλακόσης ἀπὸ τοῦ θεοῦ εἰς γῆν τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς ψυχῆς. *Apud quos nullum aliud numen erat receptum, quàm Deus huius rerum vniuersitatis præses, procul ablegatis omnibus simulacrorum opificibus. Nam in ciuitatem eorum nullus pictor admittebatur, nullus statuarius: legibus totum hoc genus arcentibus ne qua occasio præberetur hominibus crassis, nè ve animi eorum à Dei cultu auocarentur ad res terrenas per huiusmodi illecebras.*

VIII. Baronius anno Christi 31. §. 74. contra Ambrosium, disputat mulierem illam sanatam à profluuio sanguinis non esse Martham. Argumentum ei hoc est: Eam mulierem esse æneis simulacris, tam Iesu, quam sui effigiem referentibus, rei gestæ memoriam commendatam voluisse, *Cum non liceret vllo pacto* (inquit) *Iudæis simulacrum cuiusuis, quanuis occasione formare.* Ergo si verum Baronius est eloquutus, ne Marthæ quidem Iudææ licebat per legem imaginem facere. Cuius? Iouis-ne? an Mercurij? Imò nec Christi. Et quidem nulla occasione, hoc est, exempli gratia, nec quidem propter suscitatum fratrem.

IX. Hic responsantes audio: ita quidem factū. sed factum propter Iudæos tantum ad idololatriam propensissimos. Itaq; non debere trahi in argumentum apud Christianos. Sed isti primum docere debent, aut antiquatum, aut saltem immutatum præceptum fuisse aduentu Christi. Quod illi certe nunquam facient. Ego contra doceo exemplo Marthæ ex disputatione Baronij. Illa enim etsi Gente Iudæa: tamen erat religione Christiana. Christianos ergo

necesse est, tum temporis putasse sibi imaginum vsum prohibitum ex vi huius præcepti. Nam si aliter, quomodo hoc arcanum Martha ignorasset? Secundo, debent ostendere, & propensiores Iudæos fuisse ad idololatriam quam reliquos populos, quam Christianos: & si id concedatur, fuisse id præceptum ob eam causam sancitum: nam vtrunque constare oportet. Hoc quidem, quia quantumuis propensi fuerint ad vitia quæpiam, tamen potuerunt eis præcepta dari ex iure naturæ. Vt exempli gratia, etsi quosdã populos videamus in ebrietatem propensissimos, alios in venerem, tamen & ebrietatem, & venerem, quæ leges prohibent, ideo prohibent, quia iure naturali prohibentur. Cur non simile in Iudæis? Vt si concedam eos propensiores reliquis fuisse ad imagines adorandas, fuerint tamen illis imagines prohibitæ. non, quia propensi erant, sed quia idipsum erat nefas?

X. Qui inquam propensiores fuisse reliquis populis, sumitur, non docetur. Fateor notari aliquoties in Scriptura huius sceleris: sed nego vllo loco posse ostendi hanc quam nostri εἰδωλομανεῖς obtendunt maiorem propensionem. Imo contra, ex iis, quæ sepe passi sunt, contrarium doceri potest. Nam legis suæ fuisse retinentissimos, quis nescit? Sed qui Christiani, cur propensi minus? Nemo enim causas expediat. Atq; adeo Viues negabat sevidere, quod esset discrimẽ inter multos Christianos imagines colẽtes, & Ethnicos olim. Agrippa de Vanitate scientiarum, *Nec dici potest quanta superstitio ne dicam idololatria penes rudem & indoctam plebem alatur in imaginibus, conniuentibus ad ista Sacerdotibus.* Bodinus Methodi c. 5. D. Antonium à plerisq; in Italia, & Gallia Narbonensi ardentiore voto, certe maiore metu coli quam Deum immortalem.

XI. Sed videamus ergo, quæ veterum Christianorũ mens fuerit in explicando hoc præcepto. Distinguo ordines duos. Primo enim plerique omnes nihil distinguebant, siue imagines, siue idola, siue simulacra. Theophylus libro 2. ad Autolycum, ὁ μὲν οὖν θεὸς οὐ μόνον κωλύει τὸ τοῖς εἰδώλοις προσκυνεῖν, ἀλλὰ καὶ τοῖς στοιχείοις, ἡλίῳ, σελήνῃ ἢ τοῖς λοιποῖς ἄστροις· ἀλλ' οὔτε τῷ οὐρανῷ, οὔτε γῇ οὔτε θαλάσσῃ, οὐ πηγαῖς, οὐ ποταμοῖς θρησκεύειν, ἀλλ' ἢ μόνῳ τῷ ὄντι Θεῷ, καὶ ποιητῇ τῶν ὅλων χρὴ λατρεύειν σὺν ὁσιότητι καρδίας, καὶ εἰλικρινεῖ γνώμῃ, *Lex diuina prohibet adorare, non tantum idola, verum etiam elementa, Solenni Lunam, & reliqua astra. Imo ne cœlos quidem, aut terram, aut mare, aut fluuios colere oportet: quin potius soli vero Deo, omnium factori seruiendum sanctitate cordis, & puro animo.* Iustinus Dialogo cum Tryphone. οὐχὶ Θεὸς λῴ ὁ εἰδωλολάτρῃ καὶ ἀφῃρεμένῳ Μωσέως, μήτε εἰκόνα, μήτε ὁμοίωμα, μήτε τῶν ἐν οὐρανῷ ἄνω, μήτε τῶν ἐπὶ γῆς ὅλως ποιῆσαι; *Nonne Deus erat, qui per Mosen vetuit fieri in vniuersum imaginem, aut similitudinem eorum quæ sunt in cœlo sursum, aut in terra?* Clemens Alexandinus Stromateon 5. Δακτύλιοι μὴ φορεῖν, μηδὲ εἰκόνας αὐτοῖς ἐγχαράττειν θεῶν, παρεγγυᾷ. ὁ Πυθαγόρας ὥσπερ Μωυσῆς τοῦ πλαγιαζόντος ἐνομοθέτησεν, μηδὲν δεῖν γλυπτὸν, ἢ χωνευτὸν, ἢ πλαστὸν, ἢ γραπτὸν ἄγαλμα τιμᾶν καὶ εἰκονισμὰ ποιεῖσθαι, ὡς μὴ τοῖς αἰσθητοῖς προσανέχωμεν, ἐπὶ δὲ τὰ νοητὰ μεταβαίνωμεν, *Pythagoras præcipiebat non gestandos annulos, neq; ius inscribendas deorũ imagines: sicut olim Moses diserte lege sanxerat, nullam sculptam aut conflatam, aut fictam, aut pictam statuam, siue imaginem faciendam, ne sensibus attendamus, sed ad intelligibilia transeamus.* Et Protreptico, ἀπηγορεύου τοι ἡμῖν ἀναφωνῶν ἐργάζεσθαι τὸν λίθον, καὶ γὰρ ποίησις, φησὶν ὁ προφήτης, πάντος ὁμοίωμα. Sic legendum est, ἡμῖν non ὑμῖν, & ἐργάζεσθαι, non ὁμιλεῖσθαι: vt legit ipse Heruetus, reddens, *Nobis est aperte veritum artem fallacem exercere. Non facies enim, inquit Propheta, cuiusuis rei similitudinem.* Qui tamen debuit *cuiusquam rei* dicere potius. Nazianzenus in Carminib. καὶ τοῖος ἐνδάλμασι κενὸν, καὶ ἄπνοον εἰκοῦ, *Non eriges statuam vanam, neq; inanimatam imaginem.* Quinetiam recentissimus, atque adeò Papista, Durandus libro 1 Rationalis, c. de Picturis: hoc præcepto, atque aliis locis è Scriptura reprobari dicit nimium imaginum vsum.

XII. Alij distinguunt idolum a similitudine: sed æque vtrumq; prohiberi docent. Primus Origenes in Exodum homilia, *Si quis in quolibet metallo auri, vel argenti, vel ligni, vel lapidis faciat speciem quadrupedis alicuius, vel serpentis, vel auis, & statuat illam adorandam, non idolum, sed similitudinem fecit. Vel etiam, si picturam ad hoc ipsum statuat, nihilominus similitudinem fecisse dicendus est. Idolum verò facit ille, qui secundùm Apostolum dicente, quia idolum nihil est, facit quod non est. Quid est autem quod non est? Species, quam non vidit oculus, sed ipse sibi animus fingit. Verbi gratia, vt si quis humanis membris caput canis, aut arietis formet, vel rursum in vno hominis habitu duas facies fingat: aut humano pectori postremas partes equi, aut piscis adiungat: hæc & ius similia qui facit, non similitudinem sed idolum facit.* Hanc distinctionẽ cum paulò plurib̃us prosequutus est, tandem, *Quæ nunc Dei sermo vniuersa complectens simul abiurat, & abicit, & non solum idolum fieri vetat, sed & similitudinem omnium, quæ in terra sunt, & in aquis, & in cœlo.* Sic Origenes. Origenis vestigiis Theodoretus insistit, quæstione in Exodum 31. *Idolum nihil repræsentat, quod subsistat: similitudo verò, est alicuius imago, & effigies.* Et postquam illustrauit exemplis, *Quæ omnia vetat adorare, & colere.*

XIII. Itaque, aut nihil vnquam probari potest, aut hoc probatum est, secundo legis mandato, vocabula, צלם, דמות, פסל, comprehendere, quicquid humano pingitur artificio, aut fingitur, aut cælatur, aut conflatur, aut denique fit ad effigiem aliquam exprimendam: vno verbo omne idolum, omne simulacrum, omnem imaginem: neque interesse vtrum aliquid significet reipsa existens in rerum natura: an nihil: vtrum Deum verum, an deum falsum, an hominem, an Angelum: denique quicquid, aut in cœlo est, aut in terra, aut in vlla mundi parte.

XIV. Quid Papistæ contrà? Sophisticantur suo more. Negant hoc præcepto prohibitas omnes imagines, aut idolorum nomine censeri. Dantq; instantias. Primo à Cherubinis in arca, in templo, à bobus in mari æneo, à Serpente æneo. Secundò ex variis locis vbi imaginis nomen est in bonam partem. Genes 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quinto, *Adam genuit ad imaginem, & similitudinem.* Iob 4. *Imago coram oculis meis.* Ad Romanos 8. *Quos præscitiuit, & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui.* Prioris ad Corinthios 11 *Vir imago & gloria Dei est.* Et 15 *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Posterioris tertio, *In eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Ad Colossenses 3. *Qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creauit illum.* Ad Hebræos 10 *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Atque hos omnes locos Gautierus colligebat disputans mecum; vt probaret non semper in Scriptura imaginem sumi pro idolo.

XV. Sed de Cherubinis, bobus, & serpente iam dictum. Cherubinos, & boues, ornatus gratia factos. Et Tertullianus olim dixit: & inter Papistas non ita pridem Polygranus in Assertionibus, *Licitæ fuerunt*, inquit, *imagines quæ fiebant ornatus gratia: sicut duo Cherubim, quos iubente Deo Domino fecit Moses super tabernaculum. Item Salomon duodecim boum imagines fudit sub mari æneo.* Quia igitur ad adorationem, siue cultum religiosum non pertinent, aliena sunt ab hac controuersia. Nec improbem Patrum mentem in Synodo Francofurtensi, qui, vt est in præfatione libri Caroli Magni, ita distinguunt imaginem ab idolo: vt imago sit ad ornamentum, vel ad res gestas monstrandas: idolum verò ad cultum. Ac sanè, non sunt præcepti partes diuellendæ, quas Deus coniunxit. Itaq; hæc Catholicorum sententia est, posse quidem nonnullum obseruari discrimen inter idolum, & imaginem vt antè dictum, ac posse imaginum vsum permitti nonnunquam: sed cultus religiosi gratia, tum equè imaginem prohiberi ac idolum. De serpente paulò quidem alia fuit ratio, sed is vt neq; ad ornatum, sic neq; ad cultum fuit propositus: tantùm in remedium, & typum, qua de re nullus nobis sermo est.

XVI. In reliquis locis quanta est vitilitigatio? Imaginis vocabulum vsurpatur sæpè in bonã partem: Ergo hoc præcepto non æquè prohibentur imagines, ac idola. Has verò partes, quæ ratio conferruminauit? quæ necessitas coniunxit? Imò iis plerisque locis imago, abducta est à suo proprio vsu, ad alienum, etsi vicinum, nempe metaphoricum. Solus est ex Iobo locus accedens ad proprietatem. Sed tamen imaginem, nominans pro idolo: nempe pro similitudine in somniis apparente: quam ostendimus idolum appellari, ea significatione, qua idolum ipsum nullam habet consistentiam. Describitur enim eo loci somnium, *In horrore*, inquit, *visionis nocturnæ, quando irruit altus sopor in homines.* Atque adeò, *Cùm spiritus me præsente transiret.* Itáne? si in somniis apparent imagines: Ergo imagines non prohibentur secundo præcepto? Monstrum argutiæ.

XVII. In reliquis. Homo ad imaginem Dei. Ita sanè ad imaginem. Sed quid hæc imago ad eas imagines, quæ in coloribus, quæ in lineamentis totæ sunt? Quid hæc imago ad eas imagines, quæ adorantur? Nimirũ illa imago, est tantum pro similitudine quadam, qua homo accedit ad Deum, factus rationis particeps: quæ cùm in Deo summa sit, in homine est, ὥσπερ σκία τις, inquit Athanasius de Incarnatione Verbi Dei. Similitudo item illa imago Christi, cui fideles debent fieri conformes: quam tamen nemo adorat, nisi fortè omnes quispiam fideles adoret. Similitudo item imago illa sui ad quam Adamus Sethum genuit: quam rursus nemo adorandam dicit. Deniq; imago bonorum non est in lege; sed tantùm vmbra. Certè imaginem μεταφορικῶς, dici non negabit, nisi qui vmbram propriè sumi contendet. Quæso vos, viri docti, nonne ineptum est, cùm de imaginibus quæritur χειροποιήτοις, instantiam dare de imaginibus μεταφορικαῖς?

XVIII. Sed iidem citant confidentiùs caput primum ad Colossenses, vbi dicitur Filius imago Patris: quem tamen nemo dicat idolum absq; blasphemia. Ergo longè differre imaginem ab idolo. Et quidem non prohiberi adorationem omnium imaginum: quandoquidem Christus, Imago Patris, adoretur.

XIX. Respondeo, primò ne hanc quidem imaginem esse proprie dictam imaginem: sed tantum μεταφορικῶς, siue ἀναλόγως, quatenus infinita illa Trinitatis mysteria nobis nostris vocibus intimari possunt. Qua de re prolixius actum lib. 1. huius tomi secundi: itaq; instantiam non esse ad rem. Secundò, repeto locum ex Augustini Epistola 119. *In primo præcepto prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo: non quia non habet imaginem Deus: sed quia nulla imago eius coli debet, nisi illa quæ hoc est, quod ipse: nec ipsa pro illo: sed cum illo.* Quæ verba idem sonant, ac si esset dictum: Etsi verum sit Filium in diuinis esse imaginem Patris: & Filium coli: tamen illud etiam verum, hac vna excepta, nullas imagines colendas. Iam verò Papistæ nolunt, omnes imagines Dei, præter Filium, esse idola: Ergo certum est, non sola idola prohiberi hoc mandato, sed etiam imagines: quæ nostra est controuersia.

CAP. XI.

De differentia Idololatriæ specifica.

I. ATque hactenus de Imagine, & Idolo, primò Papistarũ κρυπτοφυγεῖν, in hac materia. Alterum est de ipso Cultu nimirum, quia consentimus, hæc, siue idola, siue simulacra, siue etiam imagines, non prohiberi absolute, sed cum hac conditione, si adorentur, ex his verbis, *non adorabis ea, neq; seruies eis*: nempe videndum, quid hæc verba significent. Nam primò nõ possunt Papistę confugere ad distinctionem λατρείας, καὶ δουλείας. Nã תעבדם, proprie significat δουλείαν sua originatione. Et תשתחוה est *inclinare se, prosternere se*, quod proprie refertur ad externos corporis gestus. Quid ergo? Bellarminus ait reprehendi idololatriam, id est, cultum imaginum. Sic enim ille diserte discedens à distinctione idoli, & imaginis, ac proinde concedens hoc præcepto etiam imagines contineri. Sed cultum imaginum, non simpliciter, verum earum quæ habentur pro diis, vel per quas coluntur tanquam dij, ij qui vere non sunt.

II. Atque id plerisque omnibus in ore est. In quo duo videntur distincta, imò disparata membra, vt sensus sit dupliciter committi idololatriam. Nempe, primò, cùm ipsæ illæ imagines quę adorantur, putantur esse dij, & eam ob causam adorantur: vt si fortè olim factum, vt stupidissimè quidam Ethnici ipsum illum lapidem sic fictum Iouem appellarent: imò non tantùm appellarent, sed esse ipsissimum crederent. Deinde secundò, cum imagines illæ adorantur tanquam imagines, atque adeò, quia significent aliud aliquid, quod tamen non sit Deus: ac proinde adorari non debeat: vt si quis statuam Diabolo erigat, atque eam adoret, ita vt non ipsam, sed Diabolum adoret, qui nullo modo est adorandus.

III. At Gregorius de Valentia nondum satis distinctum putauit. Itaque idololatriam definiuit, cum honor diuinus defertur creaturæ tanquã Deo: qua de re disputat cap. 1. lib. 1. & 2. de Idololatria. Et hinc geminam conditionem requiri ad idololatriam committendam. Primam, vt honor ille sit diuinus, hoc est. talis, vt Deo soli competat. Alteram, vt ei cui tribuitur, is honor tribuatur tanquam Deo, hoc est, ad excitandam opinionem de eo, quòd sit Deus. Hac autem conditione, vel vtraque, vel alterutra deficiente,

negat

negat committi idololatriam: nimirum vt quis possit honorem deferre creaturæ, qui soli Deo proprius est, vt tamen non sit idololatra.

IV. Hæc Papistæ. At Catholici primò ex duobus Bellarmini membris alterum duntaxat esse ad hanc rem necessariam, nempe quo imagines colantur pro diis. Nam alterum, quo per imagines colantur, qui non sunt dij, pertinere potius ad quæstionem tractatam lib. 19. de Adoratione creaturarum. Consentimus autem, si quis honor debeatur imagini, deberi tantùm propter prototypum: itaque si prototypum nullum honorem mereatur, ne imaginem quidem posse vllum habere. Vnde certa conclusio nascitur contra imagines Sanctorum. Nam quia constitutum, nihil creatum debere coli religiosè: Et sanctos creatos nemo dubitet, omnino sequitur, ne eorum quidem imagines religiosè colendas.

V. Secundò, quandoquidem coniunxit Bellarminus præceptum primum cum secundo, & soluendo notauit prohiberi idololatriam: videtur debuisse idololatriam plenè distinguere, vt ne imperfectè mandati mentem describens, errandi ansam lectori præberet. Nam præter hæc duo idololatriæ genera, nimirum cum imagines coluntur pro diis: & cum per imagines coluntur non dij: tertium restat, cum etiam sine imaginibus coluntur nõ dij: quod olim contigit Numæ, Romanisq; ab eo institutis. Nam illi Deos suos colebant, nullo tamen adhibito simulachro. Quanquam si Bellarminus distingueret præcepta, & secundum solum sibi obiici passus esset, facile & nos huius membri in distinguendo omissionem dissimularemus, magis pertinentis ad mandatum primum.

VI. Tertiò, alterum illud membrum, quo ponuntur coli imagines pro diis, ambiguum cum sit, non est absq; distinctione admittendũ. Potest enim significare coli imagines, hac mente, vt ipsæ censeantur habere in sese eam rationem diuinitatis propter quam adorantur, atque adeo esse idipsum proprie quod appellantur. Vel adorari loco eorum, quibus sunt dicatę, quasi eos repræsentantes, &, vt loqui solent Papistæ, vno illo motu, qui est in imaginẽ, & in exemplar. Atq; vtroque hoc sensu Catholici imaginum adorationem improbant: & idololatriam committi asserunt, non tantum, cum imago, siue triceps, siue trifrons, quam vicini nostri colunt in vertice summo montis Ventosi: siue quæ exhibet Senem, cum iuuene & columba: cùm, inquam, imago huiusmodi colitur, siue ab iis qui credunt illam ipsam esse Trinitatem, siue ab iis, qui per illam adorant Trinitatem.

VII. Quod attinet ad Gregorium de Valentia, qui distinguit cultum diuinum, & cultum diuinum delatum, tanquam Deo: negatur hæc esse plena idololatriæ definitio, duabus de causis: primò, quia idololatria fit, cum defertur honos, etiam non diuinus, alicui tanquam Deo. Quia hoc ipsum idololatria est, cum quid creatum existimatur Deus: vt cum Babylonij Belẽ participem faciebant suarum epularum, qui honor non est diuinus, quia non propriè Deo debitus. Secundò, quia Idololatria fit iterum, quum honor diuinus defertur creaturæ, etiamsi non censeatur esse Deus: quomodo adulterium est, cum se coniugata mulier cuiuis prostituit, quem tamen non habeat pro marito. Sic sacrificium, quicunque deferat vlli creaturæ, quantumuis creaturam esse nouerit, fit idololatra.

VIII. Bellarminus suam distinctionem nullis probat argumentis, quasi is esset de quo dicatur αὐτὸς ἔφα. Sed suam definitionem Gregorius videri vult confirmare. Primò, autoritate Ambrosij, Commentariis in 5. ad Ephesios, *Idololatria Dei honorificentiam vsurpat, & vendicat Creaturæ.* Secundò, ex Scripturę locis triginta duobus (sic enim computat capite secundo libri 3. de Idololatria) quos notauit in margine duntaxat. Psalmo 106. Sapientiæ 13. 4. & 5. Hieremiæ 2. Ad Romanos 1. Geneseos 35. Exodi 23. Leuitici 19. Deuteronomij 7. 31. 32. Iosuæ 23. Iudicum 2. Primi Regum 7. Tertij Regum 18. Secundi Paralipomenon 7. Psalmo 80. & 96. Iudith 8. Esaiæ 44. Hieremiæ 35. Danielis 13. Ex his, duos tantum describit. Ex Sapientiæ 14. *Hæc fuit vita humana deceptio, quoniam, aut affectui, aut regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.* Ad Rom. 1. *Coluerunt, & seruierunt creaturæ potius, quàm Creatori.*

IX. Respondeo, in Ambrosio nihil esse quale vult Gregorius. Imò, inquit Gregorius, vtraq; pars Idololatriæ attingitur: materia, honor diuinus: tum actio, qua ad creaturam ille honor impiè defertur. Imò, inquam, hoc ipsum nihil ad definitionem Gregorianã Nam hæc duas partes complectitur, vnã, qua diuinus cultus defertur creaturæ, alterã, qua defertur creaturæ tanquam Deo. Sic enim disertissimè Gregorius disparat semper: & quidem ita, vt si, aut vtraq; pars absit, aut saltem altera, idololatriam nullam agnoscat. At in prima parte, qua cultus diuinus defertur creaturæ, continetur, & materia, & actio, quam in Ambrosij verbis obseruat Iesuita. Itaq; superfluum illud, *defertur tanquam Deo*, apud Ambrosium nullum est. Ergo inconsideratè, imò non inconsiderate, sed impudenter tanti viri nomen vsurpatur.

X. De Scripturæ locis illis tam multis, quid dicam? Nihil facilius, quàm margines infinitis numeris farcire. Sed ea nulla est demonstratio. Imò id faciunt Papistæ, tum maxime, cum maxime omnium destituuntur Scripturæ autoritate. Nec recuso, quin ex hac ipsa re iudicium fiat. Psal. 106. *Mutauerũt gloriam Dei in similitudinem vituli.* Sapientiæ 13. *Appellauerunt deos, opera manuum hominum.* Et 15 *Omnia idola nationum deos æstimauerunt.* Hieremiæ 2. *Dicentes ligno, Pater meus es tu, & ligno, Tu me genuisti.* Hem! hæccine distinguunt cultum diuinum delatum creaturis, à cultu diuino delato creaturis, vt diis? Quo artificio id se apud quenquam consecuturum, Gregorius sperauit? Enimuerò cultum diuinum delatum creaturis fateor iis locis significari. Fateor significari cultum delatum, vt diis, sed cultum diuinum deferri cuiquam posse, non vt Deo, hoc verò ij loci nunquam efficient. Idẽ dico de reliquis, quos vno fasciculo Gregorius comprehendit in iis, in quibus cultus veri Dei per anthitesin opponitur cultui idolorum, vel deorum alienorum.

XI. Enimuerò in Sapientiæ 14. & ad Rom. 1. quos locos, tanquam delectos, ac proinde cæteris disertiores, descripsit, quid est magni momenti? Incommunicabile nomen, nimirum deitatis, audio idolis impositum. Nimirum, quia Dei nomine idola honorabantur. Sed ad Gregorij figmentum quid hoc facit? an enim incommunicabile nomen, distinctio est illa, honoris diuini tributi, & tributi tanquam Deo. Certè tantæ subtilitatis capaces non fuêre Lyranus, Holcotus, Rickel hunc locum simpliciter exponentes: vt significentur idola appellata dij. Paulus nihilo magis. Loquitur enim de seruitute, qui est honor diuinus: hanc seruitutem tributam creaturæ culpat: sed monstrosam Gregorij disparationem ignorat.

XII. Imò Veteres hoc ipso loco Arrianos oppugnabant, qui cum Christum negarent esse Deum, tamen ei deferebant cultum diuinum, ὁ μὲν ἀπόστολος αἰτιᾶται τοὺς Ἕλληνας ὅτι κτίσματα σέβουσι, λέγων, ὅτι ἐλατρεύσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα θεόν· ἐπεὶ δὲ κτίσμα λέγοντες εἶναι τὸν υἱόν, καὶ οὐκ κτίσμασι λατρεύοντες αὐτοῖς, τί διαφέρουσιν Ἑλλήνων; Verba Athanasij Oratione breui contra Arianos, *Apostolus accusat Græcos quòd creaturas colant, dicens, Seruierunt creaturæ potius quam Creatori Deo. Hi verò creaturam dicendo esse Dominum, atq; ei vt creaturæ seruientes, quæ re differunt à Græcis?* Et in vita Antonij, *Cum Arrianis vobis nulla sit coniunctio. Quæ enim societas luci ad tenebras? Vos fideliter credentes Christiani estis: illi, Verbum, id est, Filium, qui ex Deo Patre est, creaturam docentes, nullo interuallo à Gentibus separantur, qui seruiunt creaturæ potius quàm Creatori.* Quis iam non intelligit? Nam certe si nulli sint idololatræ, nisi qui cultum diuinum creaturæ deferunt, tanquam Deo: Ariani, qui cultum diuinum Christo deferebãt, non tanquam Deo, sed tanquã creaturæ: non essent idololatræ. Rursus, si nemo seruiret creaturæ, potius quam Creatori, nisi qui cultum eidem diuinum defert tanquam Deo: Ariani non seruiebant creaturæ potius quàm Creatori: qui Christum negabant esse Creatorem. Ac proinde hoc Pauli loco feriri non poterant, contra Veterũ mentem.

XIII. Catholici contrà. Primò, ex ipso mandati textu. Nam duæ sunt eius partes: primâ prohibentur fieri, siue imagines, siue idola: secundâ prohibetur ea facta coli. Quarum partium, hæc secunda manifeste loquitur de cultu, siue ille λατρεία dicendus sit, siue alio quopiã nomine, nunc enim haud pili interest Sed λατρείαν tamen dici Papistæ volunt obstinatissime: atque adeò exponunt, ne idolis, imò ne creaturis deferatur honor diuinus. Est ergò sane is sensus secundæ partis mandati. At is pertinet ad 1. partem distinctionis Gregorianæ. Quid ergo? altera pars de eo cultu diuino deferendo tanquam diis, vbi erit? Non in priori parte mandati: Nam facere פסל, facere תמונה, non significat deferre cultum diuinum alicui tanquam Deo: sed significat id ipsum facere materialiter, cui is cultus deferendus sit. Ergo hæc disparationis pars nusquam locum habet in mandato: vbi tamen & prohibetur, & describitur Idololatria. Quare ex eius mandati vi, Idololatria erit, cum Imaginibus, siue Idolis, defertur cultus diuinus.

XIV. Secundò, ex Idololatriæ definitione apud Veteres. Nam modò Tertullianus Idololatriam definiuit omnem circa idola famulatum, & seruitutem: sed etiam qui deinceps diligentius, distinctiusq; loquuti sunt, duas illas Gregorij cautiones nunquam simul adhibuerunt. Altenstaig in Dictionario Theologico. *Est idololatria simulacrorum cultura vel est cultus Deo debitus, creaturæ exhibitus. Et S. Thomas secunda secundæ quæstione nonagesima quarta, articulo primo, Idololatria est exhibere latriam, id est, cultum Dei, creaturæ. Vnde idololatra, est idolorum cultor.* Caietanus in summula de peccatis, *Idololatria, qua scilicet alteri quam Deo diuinus cultus exhibetur, peccatum est mortalissimum.* Alphonsus de Castro in Idololatria, *Etsi apertissimè lex Dei idololatriam abominetur, non desuere tamen ex his qui se Christianos iactarunt, què aliud præter Deum coluerint, & colendum esse docuerint.* Et ita olim constanter Augustinus, de Trinitate libro 1. c. 6. *Idololatræ dicuntur, qui simulacris eam seruitutem exhibent, quæ debetur Deo.* Quæstionum in Genesim, lib. 1. quæstione 61. *Damnuntur Idololatræ, id est, eiusmodi seruitutem exhibente, idolis quæ debetur Deo.* Locutionis de Deuteronomio, *Solet hoc verbum (λατρεύειν) in ea seruitute Scriptura ponere, quæ debetur Deo: vnde idololatræ appellantur, qui ea seruitute idolis seruiunt.* En tibi: horum sanè nemo vtramq; posuit Gregorij conditionem, sed alteram duntaxat. Nempe nondum, aut Veteres exercuerat imaginum adoratio Papistica: aut recentes Papistas, sua sophistice acuerat.

XV. Tertiò, Veteres pro eodem habuerunt Deum facere, & vt Deũ adorare, aut certe illud ex hoc necessariò consequẽs. Athanasius contra Gentes, τοῦτον τινὲς κεφαλαιοῦσι τὴν ἀμαυρίαν, καὶ ἐκποδὼν ποιοῦσιν τὸν ὄντως καὶ τὰ μετὰ τοῦ ὄντος μηδαμῶς ὑπάρχοντα, μετὰ τῶν φθορίμων φαινόμενα, ὅμως ἑαυτοῖς ἐπινοοῦσι, καὶ θεοποιοῦσι. λογικὰ δὲ ἀλόγοις ἐπιμίξαντες, καὶ ἀνόμοια τῇ φύσει ἐγείραντες, ὡς θεὸν θρησκεύουσιν, *Tantopere quidam mente prolapsi sunt, tantisq; tenebris animum suum inuoluerunt, vt quæ nequaquam vlla ratione esse poterant, aut vnquam in rebus conspecta essent, ea & sibi excogitarint, & Deificarint. Nam brutæ rationabiliaq; permiscentes, taliaq; excitantes, quorum non sit vniformis natura, tanquam Deos coluerunt.* Satin' perspicue, ὡς θεὸν θρησκεύειν, esse θεοποιεῖν? Qui potuit, si pro Diis coluntur quidam, non vt Dij?

XVI. Quartò, Si Idololatria esset ita definienda, ergo multi olim fuissent perperam accusati idololatriæ. Primò Christiani, qui violentia persecutionis coacti idolis vel sacrificabant, vel adolebant: vt exempli gratia, Marcellinus Episcopus Romanus, aut si is vocatur in dubium, quandoquidẽ nihil tam esse potest historiis testatũ, quod non parati sint infirmare Romanistæ, vt in hoc ipso Marcellino videre est Baronium: si, inquam, de Marcellino nonnihil dubitant, at certe alij plurimi. Nam hi profectò non ideò sacrificabant, quòd ea idola Deos crederent. Itaq; non committebant peccatum idololatriæ, si Bellarmino credimus, si Gregorio credimus, qui ne non satis est, cultum soli Deo debitum deferri creaturis, nisi eædem creaturæ pro dijs habeantur.

XVII. Secundò Ethnici, Si non omnes, at saltem aliqui. Qui clare testabantur seipsa idola Deos non censere. Athanasius contra Gentes, χάριν τῆς τοῦ Θεοῦ κοσμοπλαστίας γλύφοντες τὰς μορφὰς ὡς φασι, αὐτοῦ δὲ Θεοῦ τὸν τύπον, καὶ τὸν προσηγορίαν αὐτοῖς τοῖς γλύμμασι προσπήγνυτε, *Cognoscendi enim Dei causa sculpentes has figuras, vt dicitis, ipsius Dei honorem, vocabulumq; sculptilibus iniungitis.* Ambrosius sermone 10. in Psalmum 118. *Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant.* Apud Clementem recognitionum 5. clamant Ethnici, *Nos ad honorem inuisibilis Dei imagines visibiles adoramus.*

XVIII. Quinetiam instar librorum esse dicebant simulacra, quibus erudirentur imperiti. Planè vt Gregorius olim, plane vt hodie Papistæ de suis imaginibus. Athanasius contra Gentes, εἰ δὲ ὡς γράμματά εἰσιν ὑμῖν ταῦτα, ὡς ψεύδεσθε ἐπὶ τῶν θεμάτων, καὶ ἕκαστον τὸ σημαινόμενον δι' σημαινομένου προσκυνεῖν, *Si ista pro literis sunt vobis ad diuinitatem speculandam, vt falso iactatis, non est æquum ea quæ significant eo, quod significatur, impensius coli.* Arnobius libro 6. *Illud etiam dicere simulacrorum assertores solent, non ignorasse antiquos nihil habere numinis signa, neq; vllum omnino inesse his sensum: sed propter indomitum atq; imperitum vulgus, quæ pars in populis, atq; in ciuitatibus maxima est, salutariter ea, consilioq; formasse: vt velut quadam specie obiecta his nummum, abiicerent asperitatem metu.*

XIX. At Bellarminus contrà contendit simulacra ab Ethnicis deos appellari,

lari, vt ex Poëtis, & oratoribus patet. Sed & ex Danielis 5. *Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, æreos, ligneosq; & lapideos.* Et ex Sapientiæ 13. *Appellauerunt deos, opera manuum suarum.* Sed solutionem ipse petat à Papistica consuetudine, cui solenne est oscilla sua, non alio nomine appellare, quàm eorum, quibus sacrata sunt: etsi non credant esse ipsissimos illos. Nam, quis nescit aliàs Ethnicis etiam dici signa, dici simulacra, dici imagines? Atqui, vt imagines, simulacra, signa, sint idipsum, cuius sunt, nulla potest mens humana concipere. Deinde, si quid nonnulli: imò si quid plerique crassius sentere: ij fuerunt, vt Arnobius loquitur, indomitum, imperitumque vulgus: quod genus hominum, ne apud Papistas quidem nullum est. Itaque vis argumenti manet. Non enim tantùm idololatriæ erant, qui deos, siue appellabant, siue etiam credebant: sed & ij, qui signa, simulacra, imagines esse sciebant:

XX. Tertiò, Iudæi liberarentur etiam idololatriæ crimine. Nam ij non videntur idola sic coluisse, vt non aliud crederent esse Deum, quàm id quod oculis videbant. Probatur ex vitulo, quem & fecerunt, & adoraruntin deserto, Exodi 32. *Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Nam qui poterant ei vitulo iam recens conflato, tribuere suum ex Ægypto discessum, qui eam conflationem præcesserat, nisi statuerent, id signum esse eius Dei à quo educti fuerant? Itaque Aaron edicit, *Cras solennitas est Iehouæ:* quomodo solent etiam Papistæ in festis suorum Sanctorum, primas deferre imaginibus. Rursus Iudicum 17. mulier quædam, *Sanctificaui*, ait, *& voui Iehouæ mille & centum argenteos vt faciam sculptile, atq; conflatile.* At Iehouæ nomen apud Iudæos, soli vero Deo tribui solebat.

XXI. Bellarminus contra vehemens est. Primò, quia dicuntur deliquisse Deum. Deuteronom. 32. Psalm. 106. Hieremiæ 2. Deinde: Quia si Iudæi volebant tantum signum corporeum, non erat opus, vt facerent vitulum, qui haberent nubem, & columnam ignis: qui melius ducebant, quàm vitulus, qui erat portandus. Ergo non signum corporeum quærebant, sed Deum corporeum. Tertiò, quia nulla causa reddi potest, cur vitulum potius quàm ouem: nisi, quia assueti erant videre apim, vitulum Deum Ægyptiorum. Quartò, quia Iosuæ vltimo datur optio Hebræis, an velint seruire diis alienis, quibus Thare, & Nachor: an idolis Amorthæorum: an Deo Israel. Ergo non putabant se in Idolis adorare Deum Israelis: alioquin inepta fuisset optio. Et prioris Regum 18. opponitur Baal, Deo vero. Deuteromij 32 *Immolauerunt Dæmonijs, & non Deo vero: Diis quos ignorabant.* Denique si in idolis coluissent Deum verum, falso accusarentur seruisse Diis alienis.

XXII. Respondeo ad primum, vere Deum verum relictum fuisse à Iudæis, cùm adoratus fuit vitulus: etsi in vitulo Deum ipsum adorarent: quia contra Dei mandatum id factum sit: quo prohibebatur Iudæis, vt antea visum est, omnino omne simulacrum, etiam Dei veri. Itaque Paulus ad Romanos 1. *Veritatem Dei mutarunt in mendacium, & coluerunt, ac seruierunt creaturæ potius quàm creatori:* vtrumque coniungens; vt hoc ex eo consequi doceat.

XXIII. Ad secundum: respondeo Idololatrarum furores, non regi ratione: sed impetu. Itaque non debere inquiri rationem, cur hoc illi velint potius, quàm illud. Nam nec sane Ethnicis deerant aliæ rationes sibi repræsentandi Deum, quam per brutas effigies: & tamen eorum nonnulli malebant brutas effigies. Secundò, nubes, & columna nubis, non erant illis pro imaginibus Dei. neque adeo illas vnquam coluerant illi volebant imagines. Tertiò, non quærebant deos, à quibus ducerentur: sed deos quos viderent quæ caussa exstitit idololatriæ: quum homines sensibus addicti, non possent in deitatem solo spiritu mouerri. Itaque horum verborum, *Fac nobis deos, qui nos præcedant*, vel potius Hebraicè *qui ambulent ad faciem nostram*, significant deos qui ita incederent, vt viderentur.

XXIV. Ad tertium: verisimile est, ex contagione ab Ægyptiis Israelitas mutuatos esse vitulum: quia sciebant ab iis bouem coli. Sed non sequitur, si Ægyptij ipsum illum bouem pro ipsissimo Deo habuerunt, etiam Israelitas habuisse: tantum ab iis eam formam esse mutuatos. Cæteroquin seruisse Apim non eduxisse se Ægypto: sed Deum verum. Quanquam nec Ægyptios bouem illum habuisse pro ipso Deo, sed pro boue consecrato multis probari potest. Id tamen nihil nunc ad me.

XXV. Ad quartum: non bene iudicati idololatrarum Iudæorum mentem, ex iis verbis, quæ accommodatè dicta sunt, ad id quod verum erat ex præscripto Dei. Verè alij erant Dij Thare, & Nachor, à diis Amorræorum: & vtrique à vero Deo: sed non propterea sequitur, Iudæos non putasse Deum se colere in Vitulo. Quanquam colebant reapse: Neque enim Deus coluit: nisi quomodo vult: cum ergo non vult coli in imaginibus, omnino eum non colit, qui imagines colit: sed nihilominus putant homines se eum colere in imaginibus. Atque hæc eadem caussa est, quare accusentur seruisse alienis Diis: nimirum quia vitulo seruierint, putantes se seruire Deo vero.

XXVI. Ad argumenta nostra iam respondet Bellarminus; ad illud de liberatione ex Ægypto, putasse Iudæos beneficium illud se accepisse non à Deo Mosis, sed ab Api. At quænam id ratio persuadet? Non enim, si Bellarminus dicit, ideo verum. Iudæi autem, qui sperare poterant se ab Ægyptiorum Deo liberatos, quem nunquam coluerant? à quo promissa nulla habebant? Quem etiam fauere potius Ægyptiis verisimile erat, à quibus impense colebatur? Hoc verò est Israelitas, non in Idololatris numerare: sed omnino ratione destitutos fingere. Cùm contra haberent, & Patrum monita, & cultum proprium, & solemnia promissa: & miracula patrata, atque hæc quidem, quasi in contentionem veniente Deo illo Ægyptiorum. Denique Aaronem ipsum testem, quem quis credat non dixisse, *Cras festum est Iehouæ, ex suo sensu?*

XXVII. Ad alterum de Iehoua, respondet bifariam. Primò: verè nomen ipsum *Iehouæ* tributum fuisse à Iudæis idolo: atque id forte significatum Sapientiæ 14. *Incommunicabile nomen lapidibus & ligno imposuerunt.* Quia nullum sit nomen Dei incommunicabile, præter Iehoua. Et sane, inquam, ita est: communicatum est Iehouæ nomen idolo: & sic communicatum, vt in Sapientia dicitur. Sed hoc restat, vtrum quomodo Bellarminus vult, an quomodo nos. Nihil ergo responsum est.

XXVIII. Secundò, duo fuisse apud Hebræos idolorum genera: vnum sine nomine certi Dei, vt illud Michæ Iudicum 17. & forte vitulum: alterum cum certo nomine, Baal, Moloch, Astarot, Chamos. De primo genere, admitti posse Iudæos putasse se in iis idolis colere Deum verum. Et in eo grauissime peccasse, cum idolo sacrificarent, & in eo vim diuinam inesse putarent: Deumque imaginarentur esse corporeum, atque idolo similem. At hæc est plena confessio, quam volumus. Hoc enim fundamento nostrum argumentum nitebatur, quod in hoc vitulose Iudæi putabant colere Deum verum, ac proinde non ipsum vitulum esse Deum verum. Nam cæteroquin peccasse nemo nostrûm negat: imò, si non peccassent, non fuissent idololatræ. Quanquam & in vitulo fuisse vim diuinam, & Deum existimatum ei vitulo similem, vix sit verisimile, sed, vt de cæteris Israelitis dubitari queat, certe de Aarone, non poterit persuaderi.

CAP. XII.

Imagines non esse adorandas, neq; propter se: neq; propter exemplar.

I. SI adorandæ sint Imagines, ergo vel propter exemplar, vel propter se. At neutro modo. Ergo non sunt adorandæ. Consequentia per se patet, neque negatur à Papistis. Probatur assumptum per partes. Et prius de exemplari: Si propter exemplar adorantur imagines, ergo vel propter Deum, vel propter Sanctos. At neutrum. Ergo non sunt imagines adorandæ propter prototypum. Consequentia patet. Assumptum probatur.

II. Primò de Deo. Nam is non est adorandus in imaginibus. Origenes contra Celsum libro 3. vbi probat Christiana dogmata τοῖς κοιναῖς ἐννοίαις συμφερόντα, *consentire communibus notionibus*: exemplo hoc: εἰ γὰρ καὶ ἡ ἀλληγορία ὀνειδώνηται, πολλῆς αὐτῇ κατηχήσεως συμφερούσης τοῖς πολλοῖς ἐμφυτεύσαι τὸν περὶ ἀγαλμάτων λόγον ὡς θεῶν, καὶ τὸ περὶ τῶν θυομένων ἐκ χρυσοῦ, καὶ ἀργύρου, καὶ ἐλέφαντος, καὶ λίθου ὡς προσκυνήσεως ἀξίων. ἀλλ' ἡ κοινὴ ἔννοια ἀπαιτεῖ σύνοιδεν ὅτι Θεὸς ἀδαμάντινος ἐστιν ὕλης φθαρτῆς, οὐδὲ, πρέπει σὺν ἀψύχοις ὕλαις τὸν ἀνθρώπων μορφούμενον, ὡς κατ' εἰκόνα ἤ τινα σύμβολα οἰκείας γενομένας. διόπερ δίκαιος λέγεται τὸν περὶ ἀγαλμάτων, ὅτι οὐκ εἰσὶ θεοὶ καὶ γὰρ περὶ τῶν πεποιημένων δημιουργημάτων, ὅτι οὐκ εἰσὶ συγκεκριμένοι τοῦ τὸν δημιουργόν. Hæc ita vertit Sigismundus Gelenius, *Vt enim persuasum sit vulgo à tot doctoribus vndiquaque prauas opiniones inculcantibus, de adorandis deorum simulacris factis ex auro, argento ebore, marmore: attamen communis sensus iubet nos cogitare, Deum hauquaquam esse materiam corruptibilem, nec delectari hoc honore imaginum ab hominibus fabricatarum, quæ effigiem eius aut significationem repræsentent aliquam. Ideo satim succurrit de simulacris, non esse hæc numina: & de talibus artificum operibus non esse conferenda ad mundi opificem.*

III. Egregium locum, nec dignum qui festinando percurratur. Primò, consentire hoc in articulo sensum communem, & religionem. Secundò, non tantum non esse Deum materiatum, sed ne quidem coli cùm in materia repræsentatur. Tertiò, in materia repræsentari ἢ κατὰ τὴν εἰκόνα, ἢ κατὰ τινα σύμβολα: neutro autem modo coli. Quartò, statuas non esse deos: neque vlla opificia, similia Deo. Distinguit igitur Origenes idola quatenus putantur Dij, & quatenus putantur repræsentare Deum. Et rursus hoc secundum distinguit, vel vt repræsentent tanquam imagines, nempe, cùm putatur eadem esse illorum forma & Dei: vel tanquam σύμβολα, id est, quæ adumbrant naturam, vel proprietates Dei, & illa omnia æque damnat Origenes. Nec ille non potuit magis Papistas confodere. Primò enim sequitur peccare eos, qui adorant statuas non tantùm putantes esse ipsos Deos, sed etiam habentes pro imaginibus deorum. Secundò peccare qui adorant imagines Dei, non tantum qui putant iis exprimi perfecte naturam Dei, sed etiam qui habent eas pro symbolis quibusdam, quæ est pura puta Iesuitarum Sophistice.

IV. Ambrosius, contra Symmachum postulantem ab Imperatore, restitui ritus Ethnicos, *Non vult se Deus in lapidibus coli.* Et hic præclare. Cum enim prius obiecisset Ethnicos colere opera manuum suarum: Christianos verò iniuriam ducere, quod fieri potuit, Deum putari, intelligebat paratam Sophistarum exceptionem, ne Ethnicos quidem putare, ea suarum manuũ opera esse deos, sed potius in iis Deum coli, præripuit euasionem, & negauit illud ipsum licere. Cur autem non licere? Quia nolit Deus. Certa ratio, nec Ethnicos tantum feriens, sed etiam Pseudochristianos conficiens.

V. Hactenus de Deo. Nunc de Sanctis. Negamus propter Sanctos esse adorandas imagines. Nam cur? Disputatum est enim, neque Angelos, neque homines sanctos adorandos. Multo nunc ergo minus Angelorum, Sanctorumque imagines. Nam etsi contendant iconolatræ, eodem cultu venerandas imagines cum exemplaribus, at certè nemo hactenus disputauit plus imaginibus tribuendum quam exemplaribus. Confirmant hoc argumentum celeberrimæ Veterum exprobrationes, quòd hominum imagines Ethnici colerent. Tertullianus de Idololatria c 15. *Recogitemus, omnem idololatriam in homines esse culturam, cùm ipsos Deos nationum homines retro fuisse, etiam apud suos constet. Itaque nihil interest superioris an huius seculi virus superstitio ista præstetur.* Lactantius libri 2. c. 1. *Religiones deorum falsas esse monstrauit: quòd ij quorum varios dissimilesq; cultus per vniuersam terram consensus hominum stulta persuasione suscepit, mortales fuerint, functiq; vita diuina necessitati morte concesserint.*

VI. Atque ita probatum, non esse adorandas imagines propter exemplaria. Nunc ne per se quidem. Quod contrà sentit Bellarminus, asserens Imagines Christi, & Sanctorum venerandas esse, non solum per accidens, vel improprie, sed etiam per se, & proprie, ita vt ipsæ terminent venerationem, vt in se considerantur, & non solum vt vicem gerunt exemplaris. Quo vix quicquam Ethnicus dicere potuit magis Ethnicum. Imò, qui inter Ethnicos erant cordatiores, concedebant, tantum in iis Deum adorari. Sed argumenta Bellarminus habet. Primum à Synodo Nicæna secunda appellari Imagines venerabiles. Secundò, quia alioquin liceret dicere imagines non esse venerandas. Tertium, quia idem Concilium imagines eo modo venerandas sanciuit, quo Euangelia. Quartum, quia in eis sit aliquid sacri, nimirum similitudo ad rem sacram, & ipsa dedicatio, siue consecratio diuino cultui.

VII. Sed ex iis argumentis, tria prima sunt inepta. Cuius enim autoritatis est apud pios Concilium illud Nicænum secundum? Pascat se sane suosq;

Bellar-

Bellarminus hac glande: at Catholici oblatas fruges Verbi Dei malunt: ideoque securè pronunciant anathema dicentibus, Imagines venerabiles. Tertia est falsa. Nihil enim sacri esse potest in imaginibus: non similitudo non consecratio. Non similitudo, primùm Trinitatis, quia, vt antea disputari, nulla est in iis similitudo Trinitatis, quæ nihil omnino habere potest simile: deinde neque in Angelis: nam Imagines omnes lineamentis constant, ex iisque formam habent, cui nihil in Angelis simile, qui sunt spiritus. Terriò, neque in hominibus: quia, vt antea docui, ad pingendos eos non solent oris ductus exquirere. Alioquin poteram post Arnobium in 6. *Vnde nouissimè scitis, an simulacra hæc omnia, quæ sanctis immortalibus vicaria substitutione formatis, similitudinem habeant, referantq; sanctorum? Potest enim fieri, vt barbatus in cœlo sit, qui esse à vobis effingitur lauis: potest vt senectute proiectior, cui puerilem commodatis ætatem: potest vt hic flauus sit, qui in veritate habeat oculos cæsios: displosas vt gestitet nares, quem esse vos facitis, figuratisq; nasicam. Sed oris, vt dixi, nulla cura est: vtinam frontis aliqua.* Solent symbola μικρολογεῖν, Sanctosque sufficienter putant depictos, si capiti addant orbiculum pro pileo: Virgines, si palmam: Episcopos, si pedum, cum mitra: Abbates, si pedum solum: & similia plurima. Quin audio nonnusquã in compitis prostrare statuas, quæ eædem variis sanctis significandis seruiãt, mutatis duntaxat indiciis: vt, qui in vno festo Petrus erat cum clauibus: in alio, abiectis clauibus, sumptoque ense, Paulus sit, & idem rursus Andreas, sumpta cruce: aut Laurentius crate. Vt olim in Theatro, qui Dauus erat post modum fiebat Sosia: & qui Regem egit, personam gestat seruuli. Ita arbitratia: imò ita ludicra est res. At quis cuiusquam formam (quæ debuit sanè in imaginibus reperiri vel præcipuè.) *Neq; enim* (inquit Arnobius in 6.) *rectum est dicere, aut appellare simulacrum, quod non pariles lineas principuli ab ore traducat*, quæ fuit in accidentibus, & quidem non propriis, sed communibus? Tum autem, etiamsi esset expressa forma, quis vnquam docuit hominis lineamenta esse sacra? Consecratio autem, quæ idololatrica est, exsecratio est potius.

VIII. Sed contra, habent Catholici omnia argumenta, quæ olim contra Ethnicos vsurpata fuere, tum à Scriptura, tum à Patribus. Sit primò Scripturæ disertæ. Psalmo 115. *Simulacra Gentium argentum & aurum: opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt: aures habent & non audient: nares habent, & non odorabunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo. Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Repetuntur ferè ad verbum Psalmo 135. Esaiæ quadragesimo, *Forte lignum & imputribile, elegit, artifex sapiens quærit quomodo statuat simulacrum, quod non moueatur.* Et 44. *Quis formauit deum, & sculptile conflauit ad nihil vtile? Ecce omnes participes eius confundentur, fabri enim sunt ex hominibus, conuenient omnes, stabunt, & pauebunt, & confundentur simul. Faber ferrarius lima operatus est, in prunis, & in malleis formauit illud, & operatus est in brachio fortitudinis suæ, esuriet, & deficiet, non bibet aquam, & lassescet. Artifex lignarius extendit normam, formauit illud in runcina, fecit illud in angularibus, & in circino tornauit illud, & fecit imaginem viri, quasi speciosum hominem, habitantem in domo. Succidit cedros, tulit ilicem, & quercum, quæ steterat inter ligna saltus, plantauit pinum, quam pluuia nutriuit, & facta est hominibus in focum, sumpsit ex eis & calefactus est, & succendit, & coxit panes, de reliquo autem operatus est deum, & adorauit, fecit sculptile, & caruatus est ante illud. Medium eius combussit igni, & de medio eius carnes comedit, coxit pulmentum, & saturatus est, & calefactus est. Et dixit: vah, calefactus sum, vidi focum.* Hieremiæ 10 *Lignum de saltu præcidit, opus manus artificis in ascia. Argento, & auro decorauit illud, clauis & malleu compegit, vt non dissoluatur. In similitudinem palmæ fabricata sunt, & non loquentur, portata tollentur, quia incedere non valent.* Plurima eiusmodi videre est & in Apocryphis, Sapientia, & Baruc.

IX. Ex quibus geminum elicitur argumentum? quod vtrumque luculentissimis illustratur Patrum testimoniis. Primum esto: Si imagines sunt adorandæ per se, & propriè, ita vt ipsæ terminent venerationem, ergo vel propter materiam, vel propter formam. At neutrum. Et hoc probatur per partes. Non propter materiam, quia nihil est, nisi aurum, argentum, lignum, & similia. At hæc non adoranda primò sensus ipse communis dictat, secundò res ipsa: nam illa subiiciuntur artificis manui, agit in ea ignis. Lignum etiam partim dolatur, vt sit imago, partim amburitur ad calefaciendum, coquendumque panes. Quæ si dici non possint omnia de imaginibus Sanctorum, quas Papistæ adorant, æquè ac de Idolis Ethnicorum, erit quod sibi gratulentur. Sin omnia totidem syllabis mutato nomine de illis dici possunt, næ nobis ipsi gratulari possunt seriò, qui à tam turpi iconolatria discessimus.

X. Athanasius contra Gentes: *πρόσκυνοῦντες λίθοις καὶ ξύλοις, ἃ οὐ οἶδεν ὅτι καὶ ὁ μόχλος τοῖς ποσὶ πατοῦσι καὶ κάεται. καὶ τὸ τοῦτο εἶδος θεὸς προσαγορεύουσι. καὶ ἃ πρὸς ὀλίγον εἰς χρῆσιν εἶχον, τούτοις ἀλλὰ προσφορεσκύλα γλύψαντες σέβουσιν. Cum adorant ligna & lapides, non vident se ea quæ illis similia sunt, calcare pedibus, & cremare. Horum verò partes deos appellare, & quæ parum abfuit, quin suos in vsus verterent, hæc ipsa per amentiam postquam sculpserunt, colunt.* Muta Deos in Sanctos, habebis graphicè Papistas depictos. Libet in hoc loco Arnobij exemplo, imò Arnobij verbis in 6. tanquam si omnes adsint Papistico ex orbe nationes, vnam facere concionem, atq; in aures hæc omnium communiter audienda depromere. Quid nam est istud homines, quod ipsi vos vltro in tam promptis ac perspicuis rebus voluntaria failitis & circumscribitis cæcitate? Discutite aliquando caliginem, recessiq; ad lumen mentis, intuemini propius, & videte istud quod agitur quale sit: si modò retinetis ius vestrum, atq; in finibus his datæ rationis consujq; versamini. Simulacra ista, quæ vos terrent (nam & terrent) quæq; templis in omnibus prostrati atque humiles adoratis, ossa, lapides, æra sunt, argentum, aurum, testa, ligũ sumptum ex arbore, aut commixtum glutinum gypso, ex ornatib. fortasse meretriciis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex ossibus, aut ex Indici animalis dente: ex cacabulis, ollulis, ex candelabris, & lucernis: aut ex aliis obscenioribus vasculis congesta, conflata, in has species ducta sunt, atque in fornacibus incocta figulinis: ex incudibus & malleis nata: grossis rasa, discobinata de limis: serris, forcipibus, aculeis, ascijs secta, dolata, effossa: terebrarum excauata vertigine, runcinarum læuigata de planis. Ita iste non error est, non vt proprie dicatur amentia?

XI. Non propter formam. Nulla enim mendax forma adorari debet. At Imaginum forma est mendax: Ergo imagines adorari non debent. Assumptio probatur: quia forma est omnium hominis membrorum, nec tamẽ vlla hominis membra. Theodoretus in Psalmum 113. *Simulacra quidem sensuum domiciliis induta sunt, operatione verò priuantur. Viliora igitur, non modo sunt iis, qui ipsa finxerunt, sed etiam minimis animantibus: quandoquidem musca, & culices, & hu tenuiores, in sensuum sedibus vim habent: vident enim, & audiunt, & volant, & ambulant.* Athanasius contra gentes. *πῶς οὐκ οὐ εἰσὶν κατοδυρόμενοι οἱ ἄτυφοι ἕλληνες, οἱ τὰ ἄψυχα προσκυνοῦντες αὐτὰ τῆς ἀληθείας. Quomodo non sint miserè superstitiosi, qui ita apertè inanimata pro veris rebus adorare conuincuntur? εἰ δὲ δὴ, εἴθε καὶ κωφὰ καὶ ἀκίνητα αὐτοῖς τοῖς θεοῖς τοῦτο ὁ τεχνίτης, ἵνα μὴ τῆς αἰσθήσεως φαντασίαν ἔχοιεν ἐλέγχου. ὑπεκλίψαν γὰρ ἂν τὸν ὑπόνοιαν τῆς ἀπορίας, ὡς αἰσθανομένων τῶν εἰδώλων, εἰ μὴ τὰ σύμβολα τῆς αἰσθήσεως, οἷον ὀφθαλμοὺς, καὶ ῥῖνας, καὶ ὦτα, καὶ χεῖρας, καὶ σῶμα εἶχον ἀκινήτως κείμενα πρὸς τὸν τῆς αἰσθήσεως χρῆσιν καὶ τὸν τῆς αἰσθήσεως ἀπέλαβον. νῦν δ' ἔχοντες ὅσα ἔχουσι, καὶ φέροντες ἃ φέρουσι, καὶ καθεζόμενοι ἃ καθίζουσιν. ἀ γὰρ ἔχουσι τούτων τὸν ἐνεργείαν ἀλλ' οὐδὲ τὸν ἀόρατον ἠθέλησεν, ὅτι καὶ μόνοι κείμενοι. Θεὸν δὲ γλυφόμενον μηδὲν περιέχοντα ἄψυχον καθ' ὅλου. μόνον ἀνθρώπου τέχνη φαινόμενον τοῦτο. Vtinam sine specie vlla artifex illis numina conformasset: ita enim fieret, vt non tam euidens sua aduersus se stoliditatis documentum ostenderent. Tum enim si signa, notasq; sensuum non haberent, quales sunt oculi, nares, aures, manus, os, ipsis interim immobilibus, & sine vsu sensuum, sensibiliumq; perceptione, simpliciorum animos fallere potuissent. Nunc contra habent, & non habent: stant, & non stant: sedent, & non sedent, nullam enim vim huiusmodi actionum possident, sed in eo statu, quo voluit artifex, permanent, diuinitatis argumentum nullum exhibentes: inanimati prorsus solum hominis arte, consistendi speciem habere conspiciuntur.*

XII. Secundum Argumentum. Nihil inferius homine, est adorandum ab homine. At Imagines sunt inferiores homine: Ergo Imagines non sunt adorãdæ ab homine. Maior patet, quia omnis adoratio est honor. At omnis honor est inferioris ad superiorem. Probatur assumptio. Primo. Omne artificium hominis, est inferius homine: At Imagines sunt artificia hominis. Ergo inferiores homine. Scriptura assumptum ponit per se notum, opera manuum hominum appellans Athanasius contra Gentes. *πῶς οὖν ἀφρόνως ἀνθρώπου λαθηνόσκοντος, καὶ τὰ ἔργα αὐτοῦ γινομένα ὡς ἀθάνατα νομίσαι. ἃ εἰ μὴ κόσμον τῆς καθ' ἡμέραν ἐπιμελείας, παντὸς τοῦ χρόνου ἀφ' τὸν φύσιν ἀφανίζοντος, Mortuo artifice, eius opera quasi immortalia honorant: quibus nisi accedat quotidiana cura, plane cum tempore (quæ ipsorum natura est) in nihilum abirent.* Lactantius libri 2. c. 4. *Adorant ergo mortalia, vt à mortalibus facta Frangi enim, cremari, perire possent: nam & tectu vetustate labentibus sæpe comminui solent, & consumpta incendio, dilabuntur in cinerem, & plerumq; (nisi sua illis magnitudo subuenerit, aut custodia diligens sepserit) in prædam furibus cedunt.* Minutius: *Quanta verò de diis vestris animalia muta, naturaliter indicant, mures, hirundines, milui, non sentire eos sciunt, norunt, inculcant, insident, ac nisi abigatis, in ipso Dei vestri ore nidificant. Araneæ verò faciem eius intexunt, & de ipso capite sua fila suspendunt, vos tergitis, mundatis, eraditis, & illos, quos facitis, protegitis, & timetis.*

XIV. Deniq; probatur ab ipsa hominis natura. Athanasius contra Gentes. *Πῶς οὐκ οὖν τις αὐτὰ οἰκτειρήσῃ, καὶ ἐπὶ τούτῳ, ὅτι βλέποντες αὐτοὶ, τοῖς μὴ βλέπουσι προσκυνοῦσι καὶ ἀκούοντες αὐτοὶ τοῖς μὴ ἀκούουσι προσεύχονται. καὶ ἔμψυχοι καὶ λογικοὶ κατὰ φύσιν ὄντες οἱ ἄνθρωποι, τὰ μηδὲ ὅλως κινούμενα, ἀλλὰ ἀψύχου ὄντα, ὡς θεοὺς προσαγορεύουσι, Quis eorum non misereatur? Etiã ob hoc, quod ipsi videntes, ea quæ non vident adorant, & audientes, non audientibus preces fundunt. & animati ac rationales cũ sint natura, eos qui tantillũ quidẽ mouẽtur, sed inanimati sunt, tanquã Deos alloquuntur.* Lactantius lib. 2. c. 1. *Quanã istuc ex causa fieri putemus? nisi esse aliquã peruersã potestatẽ, q̃ veritatis sit semper inimica, q̃ humanis errorib. gaudeat: cui vnũ ac perpetuũ sit opus, offundere tenebras, & hominũ cæcare mentes, ne lucẽ videant: ne deniq; in cœlum aspiciant, ac naturam corporis sui seruent. Nam cùm cæteræ animantes pronis corporib. in humũ spectent, quia rationẽ ac sapientiã non acceperunt, nobis aut status rectus, sublimis*

mis vultus ab artifice Deo datus sit: apparet istas religiones Deorum, non esse rationis humanæ: quia curant cæleste animal, ad veneranda terrena.

XV. Tertium argumentum, quia olim Imaginum vsus improbatus fuit in veteribus hæreticis, per quos primos id diabolus operabatur, vt paulatim tanto erroti viam pararet Irenæus libri 1. c. 24. *Gnosticos se vocant, etiam imagines, quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas, habent: dicentes formam Christi factam à Pilato, illo in tempore, quo fuit Iesus, cum hominibus, & has coronant, & proponũt eas, cum imaginibus mundi philosophorum: videlicet cum imagine Pythagoræ, & Platonis, & Aristotelis, & reliquorum, & reliquam obseruationem circa eas similiter vt Gentes faciant.* Augustinus de Simone, libri de Hæresibus, c. 1. *Imagines, & suam, & eiusdem meretricis, discipulis suis præbebat adorandas.* Capite 7. de Carpocratianis, *Secta ipsius fuisse traditur quædam Marcellina, quæ colebat imagines Iesu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando incensumq; ponendo.* Epiphanius hæresi 27. ἔχει δὲ εἰκόνας οὐ ζωγραφίας ἀλλὰ χρωμάτων. πνὶς δὲ οὐ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου, καὶ λοιπῆς ὕλης ἄπνα ὀκτυπώματα φασὶν εἶναι τοῦ Ἰησοῦ, *Habent imagines coloribus depictas, quidem etiam ex auro, & argento: alia vemateria, quas esse dicunt Iesu: κεύθδιν δὲ τοιαύτας ἔχουσι εἰκόνας. ἀλλὰ καὶ φιλοσόφων πνῶν, Πυθαγόρου, καὶ Πλάτωνος, καὶ Ἀριστοτέλους, καὶ λοιπῶν. μετ' ὧν φιλοσόφων καὶ ἕτερα ὀκτυπώματα τοῦ Ἰησοῦ λέγουσι; ἱδρύσαντες τὰ προσκυνοῦσι καὶ τὰ τῶν ἐθνῶν ἐπιτελοῦσι μυστήρια, Occulte autem has imagines habent. Præterea philosophorũ quorundam, Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, aliorum: quibuscum reliquas Iesu ponunt: & eas erectas adorant, Ethnicorumq; mysteria peragunt.*

XVI. Audin' etiam Iesu imagines, & Pauli non probatas ab initio Christianis? Feuardentius in eum Irenæi locum, vt ictum eludat, plurimas notat iustissimasque fuisse causas, Irenæo. In quo habet nos consentientes. Sed quas tamen illas? Primò, quia more Gentium thure & sacrificiis eis libabant, & tanquam viuentes Deos, supremo cultu adorabant. Secundo, quia prophanorum & impiorum simulacris illas miscebant: Christo æquãdo. Tertio, quia dum occultè illas seruarent, cum per Ethnicos palam liceret, indicium erat monstrosas, & propudiosas fuisse: maxime, cum talem Christum exprimerent, qualem portentosis animi opinionibus fingebant.

XVII. Respondeo ad primam causam, illud de sacrificiis ab Epiphanio solo esse. & quidem vt videtur, per coniecturam. Nam cum dixisset τὰ τῶν ἐθνῶν ἔθη λοιπὸν ποιοῦσι, *cæterum pro more Ethnicorum faciunt*, prout habebat ab Irenæo addidit, ἵνα δὲ ἐστὶν ἐθνῶν ἔθη, ἀλλ' αἰθυσίας καὶ τὰ ἄλλα; *Quinam autem gentium mos est, nisi sacrificare, & reliqua?* Quasi, cum ex Irenæo habuisset, obseruasse mortem Gentilium, inde statim concludens: Ergo sacrificasse. Quam conclusionẽ vident omnes nullam esse. Nam Irenæi mens hæc est potius: hos hæreticos cum tota reliqua sua vita Ethnici essent: tamẽ habuisse imagines Christi. Cæterum reliqui de sacrificio nihil habent: Tantum Augustinus de adoratione, & incenso: Quãuis & hoc ipsum, iurauerim esse glossema; additum à superstitioso quodam monacho: nam, incensum ponere, vix credo phrasin esse Augustino dignam, nec vero etiam colere adorando. Sed esto sane ea lectio legitima: nihil enim nunc quidem interest. Nam & Papistæ adorant & incensum offerunt suis imaginibus. Secundo, illud *tanquam viuentes Deo*; à Feuardentio est: non autem ab vllo Veterum: itaque falsum. Enimuerò, contraria sunt: imagines, ὀκτυπώματα, & viuentes Dij. Porrò imaginem Christi, dicebant Carpocratiani factam à Pilato; quomodo ergo viuentem Deum? Reliquum de summo cultu, alias ostensum pertinere ad cultum religiosum.

XVIII. Secunda caussa, est etiam à Monacho somniante: nam etsi verum Carpocratianos miscuisse imagines Christi, cum imaginibus Philosophorum: tamen id nullus Veterum vitio vertit: tantùm recentes superstitiosi arripiunt, vt sibi delicias faciant. Quid ergo? Nempe, cum in his, videamus εἰκονοδούλοις, hoc ipso εἰκονοδουλίας præiudicio, hanc mixtionem tanquam scelus obseruare, alterutrum necesse est, aut non fuisse tam perspicaces Irenæum, Augustinum, Epiphanium, aut certè aliud eis fuisse iudicium, quod sanè verius. Et quidem si hodie primùm ij hæretici describerentur à Papistis, ausim sacramento contendere, futurum fuisse, vt distinguerentur capita: & illud de imaginibus Iesu & Pauli laudibus extolleretur: reliqua de Philosophis damnarentur. Num nam enim ita se gerunt in nouo orbe? Sanè in earum gentium describendis religionibus cùm reliqua damnent facile, tùm si quid repetiant de imaginibus, de cœlibatu, de monachatu: id verò seligunt studiosè, tanquam reliquias veteris Christianismi. Sic Gonsales Mendoza in Sinitarum descriptione, statuam tricipitem applicat mysterio Trinitatis: & alteram mulierculæ infantem in sinu gestantis, Virgini Mariæ.

XIX. Tertia caussa, est etiam somnium. Quî scit enim Monachus id factum, quod Veterum nemo dixit? Sed occultè habebant. Quid tum? Nisi fortè rectè Ethnici, ex nocturnis Christianorum cœtibus, colligebant, asininum caput, & canem, candelabrum, atque offam. Sed hæ ridiculæ sunt somniationes. Illud procliuius, occultasse præ metu, quia qui Christum colebant, odio erant gentibus. Sed licebat per Ethnicos palam habere: inquit monachus. Ita sanè imagines Philosophorum: at non æquè Christi. Itaque de industria videtur Epiphanius distinxisse. Clam, inquit, istas habent imagines, nempe Christi: nam de Philosophorum nondum erat loquutus.

XX Enimuerò quod addit de portentosis animi opinionibus, quorsum spectat? Nam Carpocratiani de figura corporis Christi nihil leguntur absurdi docuisse. Prateolus in Elencho, *Docebat* Carpocrates, *Christum non ex Maria Virgine, sed ex semine Ioseph purum hominem natum: virum quidem bonum, & Sanctum fuisse affirmans, & cuius anima, post crucifixum corpus in cœlum sit recepta, caro verò in terra dimissa.* Blasphemè sanè: quis enim dubitat? Sed nihil ad monstrosas imagines.

CAP. XIII.

De Concilijs prohibentibus Imagines.

I. HAbent Catholici etiam consensum Orthodoxæ Antiquitatis: Primùm Concilia, deinde Patres sigillatim. Concilium Eliberinum Canone 36. *Placuit, picturas in Ecclesia, esse non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.* Sensus in promptu, non esse pingendum in parietibus, quod adoratur: ergò vicissim, non esse adorandum, quod in parietibus pingitur. Coactum est autem id Concilium ante Constantinum Imperatorem: ac proinde à Baronio refertur in annum trecentesimum quintum: ita erit annis circiter viginti antiquius Nicæno primo: quanquam Richeomus de Imaginibus capite duodecimo triennio faciat recentius, referens ad annum trecentesimum vigesimum secundum.

II. Contra hoc Concilium variæ sunt exceptiones Papistarum, apud Bellarminum, de Sanctis libro 2. cap. 9. Baronium, Annalium tomo 1 anno quinquagesimo septimo. Andradium Orthodoxarum Explicationum libro 9. Alanum Dialogorum libro 5. cap. 16. Croquetium Catechesi 56. Vasques cap. 2. disputat. 105. in tertiam. Thomæ. Costerum Enchiridij capite de Imaginibus. Bolengerum contra Plessæi libri 2. cap. 2. Richeomum de Imaginibus cap. 12. Primò eius Concilij autoritatem petunt. Fuisse particulare, ac nouendecim Episcoporum duntaxat. Itaque non præualere generalibus, nec potuisse aliud statuere, quàm vniuersalis vbique obseruaret Ecclesia. Et esse in eo Concilio pleraque accedentia ad Nouatianos, vt illud de neganda communione quibusdam capitaliter peccantibus. Denique videri suppositititium Canonem: Quia à veteribus Iconomachis nunquam citetur: non ab antiquissimis Canonum collectoribus. Hæc omnia Baronius.

III. Iam de Canone ipso. Andradius & Costerus agi de imaginibus, quæ diuinitatis formam exprimerent: accedit Bolengerus, asserens agi de Imaginibus Trinitatis. Alanus. Ne more Gentilium, qui vndique circumfusi erant, Christiani suas picturas colerent, siue ne rudis populus, & recens ad Christum traductus, occasione picturarum, ad veterem idololatriam relaberetur. Et ita Bolengerus censet. Sanderus libro 2. de cultu imaginum, citante Bellarmino: ne Gentes existimarent Christianos, adorare ligna, & lapides. Bellarminus, Richeomus, Dauius, Vasques, atque alij: Non omnes imagines prohibitas: sed duntaxat ad parietem pictas: ne vel humore parietum, vel situ, vel alia ratione corrumperentur: vel denique ne à Paganis templa diruentibus, ludibrio haberentur: sed possent vna cum aliis ornamentis deferri in domos priuatas. Alanus adhibet explicationem huius canonis ex Iuone, Picturas, non esse adorandas in Ecclesia: sed quod adorandum est, mentibus fidelium per eas ad memoriam reuocandum Iouerius censet hunc Canonem conditum propter aliquem errorem tum temporis, qualis est error Anthropomorphitarum. Den que dupliciter concludunt ex eo Canone: primò, fuisse ergo in vsu picturas apud Christianos: non enim prohiberentur, si non essent: deinde, fuisse honoratas: quia id, ne pingerentur in parietibus, ad vitandam corruptionem, & Ethnicorum ludibrium, pertinet ad honorem imaginum.

IV. En mirum Papistarum ingenium! En desperatam Sophisticen! quæ quid dicat, pensi non habet, dum dicat: verum an falsum, verisimile an absurdum: audax an modestum: perinde est, dum à præiudicata opinione ne discedant. Qui modestiores videri volunt, laborant in soluendo nodo: qua hinc, qua hac. Reliqui, cùm nihil vident verisimile in illorum adinuentionibus, malunt Alexandri more, secare. Illi igitur non commodum veritati, sed sibi commodum sensum affingunt: isti prorsus & sensum, & verba, & Concilium adeo ipsum odere. Mentis-ne sanæ hæc indicia? Certè non caussæ bonæ. Omnes magno labore, nihil promouentes. Quanto seuerior, constantior, & vno verbo maiestate Romana dignior, Melchior Canus, qui locorum libri 5. cap. 4. *Leges aut nimis duras, aut patrum rationi consentaneas à conciliis prouincialibus interdum editas non est negandum. Qualis illa non imprudenter modò, vtrùm etiam impiè, à Concilio Elibertino lata de tollendis imaginibus.* Euge! Euge! Antiquum obtines.

V Fuit Elibertinum Concilium particulare, & paucorum Episcoporum. Sanè inquam. Sed quid? nullum-ne Concilium particulare quicquam loci habet apud Papistas? Imò ne Oecumenicum quidem: nisi suo Ioui commodum. Sic enim Trullense, Basiliense, Constantiensèque, haud magnifaciunt, quia minuunt eius autoritatem. At apud Catholicos non est nullius nominis Ancyranum, etiam particulare, & Episcoporum octodecim duntaxat: Neocæsariense, septendecim. Gangrense, sexdecim. Et fuerunt hæc Concilia vicina Elibertino. Agrippinensi interfuere tantùm quatuordecim. Toletano primo, nõ plures viginti. Vasensi primo octodecim. Venetico sex. Tarraconensi decem. Ilerdensi octo. Valentino in Hispania sex. Cæsaraugustano duodecim. Quid est igitur quod paucitatem Elibertino obiiciant? Sed prouinciale oportet cedere vniuersali. Itáne? Sardicense Ariminensi? Absit. Nam Ariminense Arianum fuit. Itaque merita spectanda sunt Si Elibertino obiiciuntur Concilia Vniuersalia Catholica: necesse est illud cedere. Sin hæretica, præualere. Quæcunque autem Concilia Imaginum adorationem probauerunt, hæretica fuerunt.

VI. Accessit ad Nouatianos. Sic Baronius: sed iratus, dum puparum suarum caussam ageret: & oscillorum zelo feruidus, non posset pati, ea sibi auferri. Sed idem placatior, cùm deferbuisset ira, anno trecentesimo quinto, §. 41. fatetur se paulo liberius de hoc Concilio loquutum esse: & adhibet testimonium Innocentij tertij eos Patres excusantis. Imò, vt hominem agnoscas, ex cuius ore prodeat calidum, ac frigidum, eodem ipso loco, vbi de Nouatiano dogmate agit: eodem etiam adscribit, *Cæterum, quòd sciamus eius conuentus Episcopos fuisse Catholicos, de Nouatiano hæresi nulla suspicio esse debet.* Et erant sanè: interque eos magnus ille Osius, tam seriò laudatus Athanasio: is, inquam, qui Nicæno Concilio interfuit: & si Papistis credimus, præfuit. Quanquam inter Nouatianos & Catholicos, nulla vnquam controuersia fuit de imaginibus.

VII. Suppositititium Canonem esse: & quidem autoribus discipulis Claudij Taurinensis, fingi potuit, ab eo cui nihil inausum. Sed fingendi nulla caussa fuit. At, inquit, à veteribus Iconomachis nunquam citatur. Quibus, inquam? Græcis-ne? Nihil mirum, quibus præter Synodos Africanas, nullas scimus cognitas Latinas: aut adeo paucissimas. At citatur à Latinis Iconomachis. Agobardo Lugdunensi, *Rectè nimirum ob huiusmodi euacuandam superstitionem, ab Orthodoxis patribus definitum est, Picturas in Ecclesia fieri non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* At enim antiquissimi Canonum collectores nunquam citant. Quid ergo? Dicat-ne Baronius omnes Canones esse suppositititios, quos ij Collectores non citant? Imò, inquam, ne vllum quidem citant alium huius Concilij Canonem: imò Concilium ne nominant quidem. Et tamen

Conci-

Concilium fuisse Baronius non negat. Quanquam Iuo Carnotensis in sua Collectione non omisit. Ergo frustra, siue Concilii, siue Canonis autoritas vellicatur.

VIII. Eos, qui Imagines Dei, siue Trinitatis solas intelligi volunt: Itēque eos, qui factum dicunt Canonem, ne Pagani crederent à Christianis ligna adorari, & eos, qui censent tum cœpisse, imagines coli tanquam Deos, Bellarminus refutat. Et sane quis stuporem tantum tantis viris affingat, vt cum significare vellent hoc tantum, Deitatem non pingendam, dicerent placere in Ecclesiis picturas non esse? Quasi picturæ nullæ essent, nisi Deitatis. Longe prudentiores Papistæ. Nam etsi non probent imagines τελεσφάλους, aut τετραμορφώτους, nemo tamen tanto in earum prohibitionem zelo feratur, vt dicat placere nullas esse in Ecclesiis imagines. Et credant se patribus circumspectiores in loquendo?

IX. Eadem absurditas in iis qui de Anthropomorphitis garriunt: & qui de Paganorum suspicionibus. Solent (vt vulgo fertur) viri boni alios metiri ex se ipsis. Næ igitur Papistæ viri boni non sunt, qui id Patres Ethnicis cōcessisse putant, quod nobis ipsi adduci non possunt vt gratificentur: nam etsi millies obiiciamus, coli ab iis lignum & lapides, tamen obtineri non potest vt pronuncient. Placet in Ecclesiis picturas non esse. Qui putant se satis purgatos, si negent. Mirū, si sua Patribus sinceritas minus satisfecit. Quāquam quis monitore opus habet, vt videat multis parasangis distare eos qui dicunt, *ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur*, ab iis qui supponunt ne Ethnici putent nos lignum & lapides adorare? Enimuero illi significant quid sui sit officij: hi vero, quid sit alienæ suspicionis. Et tamē hoc iuuentum Bellarminus non improbaret libenter. Hæc solutio, inquit, bona est. Et post, fateor tamen rationem canonis ei non multum quadrare.

X. Iuonis commentum, soli placuit Alano, & Croquētio: & ita quidem Alano, vt non putaret meliorem interpretem dari posse: sic habent suas labra lactucas. Patres dicunt: ne quod adoratur in parietibus pingatur, hoc est, inquit Iuo, picturæ non sunt adorandæ, sed quod adorandum est, per picturas debet repræsentari. Mirum ni tota plaudant Theatra. Sed, malum, iidem Patres edicunt, non placere esse picturas in Ecclesia. Quid ergo? possuntne si omnino non sint, quicquā repræsentare? Non posse, assentientur omnes. Ergo inquam, Patribus illis bonis, peruersus Iuo suum sensum imposuit. Næ istiusmodi interpretibus facile vincant Papistæ. Nec video quid eis sit opus tot argumenta coaceruare: cur non enim illud, *Non facies tibi sculptile*, illis significet, sculptilia repræsentare id quod est adorandum? Atq; ita diserto Scripturæ decreto, quæ negat facienda sculptilia, ipsi euicerint facienda sculptilia.

XI. Tandem Bellarminus, alioquin censor seuerus, & Vasques, acquiescunt iis, qui dicunt cautum Patres voluisse, ne parietis humore, aut ruina, aut situ imagines corrumpantur, itaq; non omnes imagines prohiberi: sed eas duntaxat, quæ in ipsa parietis superficie describuntur, & incrustantur. At primo, si id serio credunt, cur nō tanti Patrum amatores idipsum hodie curant prohibēdum? Næ istud egregium est artificium, quo nobis persuadeatur, eos, qui nollēt picturas in Ecclesiis esse, maiores esse, aut certe delicatiores imaginum cultores, quam eos, qui omnia replent imaginibus. Nam isti sane easdem licenter incrustant, nec verentur humorem, situm, ruinam. Credo, quia iam paulatim fiunt hæretici: & incipiunt male consultum velle imaginibus. Atqui illæ ipsæ tabulæ, quas permissas volunt, primò ponuntur ad parietem: ponuntur in Ecclesiis: & diserte placuit illis non esse picturas in Ecclesiis. Deinde etiam ruina muri corrumpi possunt. Tertiò etiam facilius corrumpi in lino, aut tabula quam in muro. Vtrumque tinea rodit: non rodit murum. Vtrumque facilius scinditur. Itaque ridiculi Patres fuerunt: imò non Patres, sed noui Patrum incrustatores; qui corruptioni præcauentes eas prohibuerint picturas quæ difficilius: eas permiserint, quæ facilius corrumpi possunt.

XII. Itaque vltima illa subtilitas de honore imaginum φῦδος ἀπίτω. Si enim non factum est metu corruptionis, aut ludibrij. Ergo neque honoris caussa. Penultima; quæ concludit fuisse ergo imagines, etsi nullam habeat necessariam consequentiam: possunt enim prohiberi non tantum quæ sunt, sed etiam quæ non sunt, vt ne sint: quomodo Adamo prohibitus fuerat eius pomi: non quia iam vsurpatus esset, sed ne vsurparetur. Tamen est verisimilior. Nec fuerat tamdiu Papistis exspectandum, vt suum istud rarissimum acumen admirandum exhiberent. Nam cur non potius ab initio; & cum obiiciebatur secundum legis mandatum? Nam eo prohibentur sculptilia. Cur non igitur similiter: Ergo erant sculptilia? Habuissent nos confitentes. Nam & si quis ex eo quod prohiberi videt homicidia, furta, adulteria, concludat: Ergo fuisse homicidia, furta, adulteria: non absurde faceret. Nos ergo sic dicimus vsurpatum fuisse cultum imaginum, quomodo adulterium, quomodo furtum, quomodo homicidium: nempe quia erat quidem, sed erat à malo: ac proinde seuere prohibendus.

XIII. Superest Alani & Bolengeri explicatio; ita sancitum à Patribus, ne more Gentilium, Christiani suas picturas colerent: & ne rudis populus, occasione picturarum, ad veterem idololatriam relaberetur. Et his absit vt contradicamus. Omnino ita est: & hic sensus genuinus horum verborum, ne, quod colitur & adoratur, in parietibus pingatur: quæ supponunt, Ethnico more fieri, vt & quod adoratur, in parietibus pingatur. Et quod pingitur in parietibus, adoretur. Nam Christiani, adorabant tantum in spiritu & veritate. Itaque obtinuimus quod voluimus: atque vtinam vereantur Papistæ, ne incidant in Paganismum: imò pudore afficiantur, quòd & à Deo moniti, & ab hominibus, tamen sibi non cauerint.

XIV. Croquetius. Idem Concilium iubet in domibus priuatis tolerari idola à dominis, si tanta sit seruorum ferocia, vt aliter nolint: Canone 41. Quis ergo puret non permissurum Christianas imagines? Canone 60. negantur habendi pro martyribus, qui inter deiiciendum idola Gentilium fuissent occisi: quia nusquam legamus Apostolos per tumultum idola confregisse, deiecisse. Cur igitur Caluinistæ non credunt, nusquam in Scripturis imaginum mandatam esse confractionem?

XV. Verum hæc sunt αἰνοπτύστου somnia. Iubentur domini tolerare idola, si seruos habeant præfractos. Ergo præmittendæ sunt imagines Christianæ. Quasi eadem ratio esset tolerandi, & præmittendi. Quasi idem sit timere ab impudentia seruorum, & Ecclesiæ leges dare: Quasi denique, vt idola fuerunt Ethnicorum: siue vllas imagines Christianas, Catholici agnouerint. Enimuerò, si non sit martyr, qui in deiiciēdo idolo est occisus: an ideo non sunt deiicienda idola? Imò verò certum, nec in Scriptura eos dici martyres: & in Scriptura deiectionem præceptam idolorum, imò & imaginum.

XVI. Atque hactenus de Synodo Elibertina. Deinceps longum fuit in Synodis silentium de imaginibus; donec tandem animaduersum est, & vix animaduersum, paulatim sui oblitos Christianos, indulsisse priuato imaginum vsui: & quidem primò ad repræsentandum: inde etiam ad pietatem: denique ne templa quidem pura remansisse: & palam plebem insanisse post imagines. Tum verò non potuit res tanta, tam fœda, dissimulari: & insurrere nonnulli vindices pietatis; qui hanc εἰκονομανίαν detestarentur in alijs: à seipsis procul abiicerent: à plebe etiam arcere vellent. Hic verò immane quanti tumultus excitati. Historiam fusissime describit vir illustrissimus Plessæus c 3. & 4. libri 2. de Eucharistia. Ego perstringam: quia mihi tantum Concilia necessaria.

XVII. Quum iam annos non paucos disputatum acerrimè fuisset in vtramque partem de imaginibus, tandem Constantinus Caballinus Leonis Isauri filius, Concilium coegit Episcoporum trecentorum triginta octo, Constantinopoli, voluitque appellari Oecumenicum septimum. Definitum est imagines non adorandas: *Ex his à Deo inspiratis Scripturis, & beatorum Patrum sententiis stabilitis, & super petram cultus diuini in Spiritu pedes confirmantes, in nomine Sancta & supersubstantialis viuifica Trinitatis, vnanimes, & eiusdem sententiæ, nos qui sacerdotij dignitate succincti sumus, simul existentes, vna voce definimus, omnem imaginem, ex quacunque materia improba pectorum arte factam, ab Ecclesia Christianorum reiiciendam, veluti alienam & abominabilem. Nemo hominum qualiscunque tandem fuerit, tale institutum, & impium, & impurum posthac sectetur. Qui verò ab hoc die imaginem cuius fuerit sibi parare, aut adorare, aut in Ecclesia, aut in priuata domo constituere, aut clam habere, si Episcopus fuerit, aut diaconus, deponitor: si tuere, aut clam habere, si Episcopus fuerit aut Diaconus, deponitor: si verò solitarius, aut laicus, anathemate percellitor, imperialibusq; constitutionibus subiicitur, vt qui diuinis decretis repugnet & dogmata non obseruet.* Et super eadem re varij anathematismi concipiuntur.

XVIII. Communicauit Imperator omnia Pipino, eius nominis primo, tum apud nos regnanti: quo autore coacta est Synodus illa Gentiliaca, de qua paulo antè dictum: cuius, vt dicebam, exitus qui fuerit, non constat. Annis autem circiter triginta post Constantinopolitanum Concilium, Irene, cum Constantino filio imperium administrante, indicitur Concilium Constantinopoli; in quo de Imaginibus acriter certatum est, nec obtineri potuit, quod Irene & Tarasius vehementer vrgebant: itaque dissolutum Concilium, re infecta. Annoque sequenti celebratum illud Nicænum; vbi superiores fuerunt εἰκονομαχεῖς: sancitumque, vt non tantum haberentur, sed etiam colerentur imagines.

XIX. Adrianus, eius nominis primus, tum Romæ sedebat. In Gallia regnabat Pipini filius Carolus Magnus, ad quem Adrianus legatos mittit, vnà cum actis Nicænæ illius Synodi. Quam ob caussam, iubet Carolus Episcopos ex Italia, Gallia, Germania, Francofurtum ad se conuenire. In eo conuentu agitata diligentissimè quæstio de Imaginibus, tandemque definitum contra Concilium Constantinopolitanum, Licere imagines haberi: sed contra Nicænum, prolixius & seuerius, non posse adorari absque impietate. Et editur liber continens exactam refutationem Actorum Nicænorum, qui sub nomine Caroli Magni legitur, donatus publico à Ioanne Tullio Episcopo Maldensi, Lutetiæ impressus anno superioris seculi quadragesimo.

XX Contra Synodum Constantinopolitanam ita legas in præfatione, *Gesta sanè est ante hos annos in Bithyniæ partibus, quædam Synodus, tam incauta, tamque indiscreta procacitatu, vt imagines in ornamentis Ecclesiæ, & memoriarum pestarum ab antiquis positas, incauta abolerent abdicatione: quòdque Dominus de idolis præcepit, hoc illi de cunctis imaginibus perpetrarent. Nescientes imaginem esse genus, idolum verò speciem: & speciem ad genus, genus ad speciem referri non posse. Nam cum pene omne idolum imago sit, non omnis imago idolum: alterius, & longè alterius definitionis est idolum, alterius imago: cum videlicet ista ad ornamentum, vel ad res gestas monstrandas fiant: illud autem nunquam, nisi ad miserorum animas sacrilego ritu, & vana superstitione illiciendas.* Vbi notandum σφάλμα, Bithyniæ pro Thracia. Non enim in Bithynia Constantinopolis, vbi decretum fuit contra imagines sed Nicæa, vbi illud decretum reprobatum. Probarunt ergo Francofurtenses patres vsum imaginum in Ecclesia, qui non excederet ornamentum, aut historiam. Ideoque improbatum imagines deiici, frangique, & conteri.

XXI. Verùm paucis egisse contenti ea de re, vtpote non magni momenti, deinceps toti occupantur in Synodo Nicæna coercenda. *Gesta prætera est ferme ante triennium & altera Synodus, illis in partibus, ab eorum, qui priorem gesserant, successoribus, vel à plerisque qui in priore fuisse narrantur: quæ tamen quanquam à priore distet voto, non tamen distat errore: etsi dispar est negotio, est tamen compar flagitio: & cùm sit posterior tempore, non tamen est posterior crimine. Nec immerito in vnius barathri cœnosum lacum, quanquam per diuersa fluitantes, confluere videntur, quæ ab vnius iactantiæ, & vanæ laudis fonte scaturiisse creduntur. Hæc enim anathematizata & abominata cum suis autoribus priore, imagines, quas prior nec etiam cernere permiserat, adorare compellit. Et vbicunque, siue in diuinæ Scripturæ locis, siue in Sanctorum Patrum commentariis, quamcunque repererunt imaginum mentionem, erga suæ voluntatis arbitrium vertunt in adorationem.* Et post pauca, *Cùm in neutra parte, neque isti, neque illi, temperantiæ teneantur habenis, sed vtrique præcipites per abrupta discurrant, & dispari cursu ferantur, vno tamen occursu sponsæ Christi Ecclesiæ, cuiipse dicit in Canticis Canticorum, Tota speciosa es, amica mea, & macula non est in te: maculam inferre conantur: dum & illi ei bene habita abiicere: & isti bene habitis male vti suadent: dum scilicet & illi ei ornamenta auferre studeant, & isti eam ornamenta adorare permoueant.* Et iterum, *Nos denique Propheticis, Euangelicis & Apostolicis Scripturis contenti, & sanctorum orthodoxorum Patrum, qui nullatenus in*

nus in suis dogmatibus, ab eo qui est via, veritas & vita, deuiarunt, institutis imbuti, & sanctas, & vniuersales sex Synodos, quæ pro variis hæreseorum (sic solent hæreticos appellare) *infestationibus à sanctis & venerabilibus patribus gestæ sunt, suscipientes omnes nouitates vocum, id est stultiloquas admuentiones abiicimus: & non solum non suscipimus, verum etiam tanquam purgamenta despicimus sicut & eam quæ propter adorandarum imaginum impudentissimam traditionem in Bithyniæ partibus gestæ est, Synodum. Cuius Scripturæ textus eloquentia, sensuque carens, ad nos vsque peruenit: contra cuius ererores ideo scribere compulsi sumus, vt sicubi forte aut manus tenentium, aut aures audientium inquinare tentauerit, nostri styli diuinarum Scripturarum autoritate armati inuectione pellatur: & inertem, vel potius inermem Orientali de parte venientem hostem occidite in parte, per nos, fauente Deo, allata sanctorum Patrum sententia feriat.* Hæc in præfatione.. Cæterum in libri serie plurima sunt vehementi stylo in Synodum Nicænam declamata, refutatis etiam singulorum suffragiis. Summa est, damnatam fuisse Synodum Nicænam; ac proinde imaginum Christi, & Sanctorum adorationem.

XXII. Nec satis fuit Carolo suæ iurisdictionis populis ita cauere, quin & Angliæ prouidit. Matthæus Vestmonasteriensis ad annum septingentesimum nonagesimum tertium, *Carolus rex Francorum, misit librum Synodalem ad Britanniam, in quo veræ fidei multa reperta sunt obuiantia, & eo maxime, quod pene omnium Orientalium doctorum vnanimi assertione est definitum. Imagines adorari debere quod omnino Ecclesia Catholica exsecratur. Contra quod Albinus scripsit epistolam, ex autoritate diuinarum Scripturarum mirabiliter dictatam, illamque cum eodem Synodali libro, in persona Episcoporum ac principum, idem Albinus ad regem attulit Gallicanum.*

XXIII Carolo Magno succedit in Imperio Ludouicus filius. Ad eũ, legatis missis, Michael & Theophilus, Græci Imperatores, exponunt apud se durare dissensiones ex imaginum occasione. Quam ob causam cogit Ludouicus Synodum Parisiensem, cuius acta edita sunt Francofurti anno superioris seculi nonagesimo sexto. In ea rursus damnata Imaginum tum euersio, tum adoratio. Et statim initio de Adriano Papa: *Sicut iuste reprehendit illos, qui imagines Sanctorum temerario ausu in illis partibus, confringere, & penitus abolere præsumpserunt: sic indiscrete noscitur fecisse, in eo quod superstitiose eas adorare iussit pro quarum etiam causa Synodum congregari præcepit, & sua autoritate sub iureiurando censuit, vt erigerentur & adorarentur, & sanctæ nuncuparentur, cum eas erigere licitum, adorare vero nefas sit.* Et post. *Sicut illi multum deuiauerunt, qui imagines Sanctorum in illa alia Synodo, quæ sub Constantino, auo memorati Constantini, facta est, penitus abdicandas esse decreuerunt: sic isti non mediocriter errauerunt, qui eas non solum coli & adorari, & sanctas nuncupari sanxerunt: verum etiam sanctimoniam ab eis se adipisci professi sunt* Deinceps multas colligunt sententias ex Patribus, distributas in partes duas Prioris initium. *Congruum necessariumq; iudicauimus primum sententias Sanctorum Patrum colligere: contra eos qui imagines non solum ab ædibus, sed etiam à sacris vasis indiscrete abolere præsumunt.* Posterioris autem. *Hactenus contra eos qui imagines Sãctorum abominando euertunt breuiter dicta sufficere credimus. Nunc contra eos, qui indebito cultu eas colunt, & adorant, & sanctas nuncupant, & sanctimoniam se per eas adsequi fatentur, sicut in illa Synodo Græcorum insertum inuenimus, sanctorum Patrum dicta adnectendo subiecimus.*

XXIV. Et tibi quatuor Synodos, quæ totum fere Occidentem, excepta vrbe Roma, cum paucis, si forte, vicinis, complectuntur, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Angliam: & has omnes in eam conspirantes sententiam, vt imagines quidem habere liceat, ornamenti gratia, & historiæ: nequaquam verò adorationis: quæ nostra est controuersia.

Cap. XIV.

Exceptiones Papistarum contra præcedentes Synodos.

I. PApistæ nonnulla excipiunt contra has Synodos. Constantinopolitanam Bellarminus illegitimam probat. Primò, quia absente Romano Pontifice: testibus Zonara, Cedreno, Paulo Diacono, & Synodo Nicæna secunda. Esse autem regulam, sine sententia Romani Pontificis, non licere Concilia generalia celebrari: teste Socrate libri secundi capite decimo tertiò. Secundò, quia non consenserunt vlli Patriarchæ. Tertiò, quia nemo enumerauit in generalibus. Quartò, ei derogatum fuisse per Concilium plenarium & vere generale, nempe Nicænum. Addit quintò, eandem Synodum contra nos sentire de cultu & inuocatione Sanctorum, & de meritis operum: itaq; nostram esse incredibilem vel stupiditatem, vel impudentiam, qui eam laudemus, à qua anathematizamur.

II. Sed hæc sunt nihili. An fuerit Synodus Oecumenica, susque deque habemus: neque enim solas istas probandas vnquam didicimus: & etiam in particularibus, non desunt canones optimi, sanctissimique. Nicænum secundum, ne ipsum quidem Oecumenicum fuit; vtpote à maxima parte orbis Christiani improbatum. Nam & Græci plurimi reluctabantur: & Occidens pene totus damnabat: itaque nomen solum obtinuit œcumenici: rem ipsam nunquam habuit. Quanquam ne Oecumenica quidem certa sunt; vt Ariminense: cui omnes Patriarchæ consenserunt, ne Romano quidem excepto.

III. Non fuisse legitimum, hoc verò non probat Bellarminus. Nam neque certus ille Canon est, quem Socrates notat: nec nisi ad Oecumenicas Synodos pertinet. Itidem de Patriarchis dico. Derogatum ei fuisse à Nicæno, certum: at non à vere Oecumenico: certe non ab Orthodoxo. De Sanctis & meritis scimus esse verum, non recte sensisse eandem Synodum. Sed quid tum? Quomodo Papistæ propter prohibitam imaginum venerationem, non damnant cultum Sanctorum, & merita: sic nos propter cultum Sanctorum & merita, non possumus damnare damnationem imaginum. Et quidni nos renouemus exemplum Papistarum, qui Concilia, Sardicense, Syrmiense, Triullanum, Francofordiense, Constantiense, Basiliense, partim confirmant, partim reprobant, teste Bellarmino, capite septimo de Conciliis? Qui etiam in Chalcedonensi, illud de Constantinopolitano & Romano æquatis, nunquam probarunt, quantumuis numeretur in illis quatuor, quæ profitentur se recipere, vt quatuor Euangelia.

IV. De Francofurtensi Concilio dupliciter disputant: primò, de ipso Concilio: tum de libro illo, qui fertur Caroli Magni nomine. Illud quidam negant damnasse Concilium Nicænum secundum: sed Constantinopolitanum illud sub Copronymo Alanus Dialogi 5. c. 14 *Hoc igitur affirmo, hanc Francofurdiensem Synodum, celeberrimam fuisse, ex trecentis plus minus Italia, Germania, Galliæ, Episcopis: atq; in ea Felicem Vrgelitanum Episcopum, qui Christum Dei tantum adoptiuum filium asserebat, damnatum. In ea pseudosynodum Iconomachorũ abrogatam.* Nec is solus est in ea opinione: & Alphonsus de Castro didicisse se ait à Platina, Felicem fuisse Iconoclasten, & damnatum in Franconia. Gregorius de Valentia libri 2. de Idololatria, c. 7. *Quod narrat de Francofordiana Synodo, in qua sub Carolo Magno Synodus septima, hoc est, altera Nicæna damnata fuerit, merum est figmentum. Nam Synodus verè Francofurdiana, non damnauit hanc septimam Synodum pro imaginibus: sed aliam Pseudosynodum, Constantinopoli ab Iconomachis habitam, contra imagines.*

V. Sed hi sponte falluntur. Nam in eo Concilio duplex agitata est quæstio: vna, de Christo, contra Felicem Vrgelitanum, & Elipandum Toletanum: hi autem docebant Christum esse, non quidem tantum adoptiuum Dei Filium, vt Alanus asserit, sed quum esset, quatenus Deus, naturalis filius, at quatenus hominem fuisse adoptiuum. Atque hæc hæresis damnata est, & meritò; quæ in vna eademque persona geminam filiationem consideraret. Sed alia quæstio etiam agitata de imaginibus, proposita ab Adriano Papa per Legatos, qui detulerant secum acta Nicænæ Synodi. Probatur disertissimis Veterum historicorum testimoniis. Annales incerti autoris, editi à Pithoeo, annotant ad annum septingentesimum nonagesimum quartum, *Synodus habita in Franconofurt, in qua hæresis Feliciana, coram Episcopis Germaniarum, & Galliarum, Italorumq;, præsente magno principe Carlo, & missis Adriani Apostolici Theophylacto & Stephano Episcopis: tertiò damnata est, & rata stipulatione damnatio roborata. Fastrada regina moritur, & Mongontiæ apud Sanctũ Albanum honorificè sepulta est. Pseudo synodus Græcorum pro adorandis imaginibus habita, & falso septima vocata, ab Episcopis damnatur.* Vita Caroli Magni, ab eodem Pithoeo edita: egisse Carolum dicit Pascha in Franconofurt: *Et ibi congregata est*, inquit, *Synodus magna Episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum, in præsentia eius. Ibi fuerunt missi domini Apostolici Adriani Theophylactus, & Stephanus Episcopi: & ibi tertio damnauerunt hæresin Felicianam. Quam damnationem per autoritatem Sanctorum Patrum in libro conscripserunt, quem librum omnes sacerdotes propriis manib. subscribendo confirmarunt. Ibi obijt Fastrada Regina, & ad Sanctum Albanum sepulta est. Pseudosynodus Græcorum, quam falso septimam vocabant pro imaginibus, reiecta est à Pontificibus.* Et hæc ad verbum descripsit Rhegino Chronicorum libro 2. ad eundem annum. Et alius in annalibus Fuldensibus. Armoinus libri 4. c. 85. *Rex, propter condemnandam hæresin Felicianam, æstatis initio, quando & generalem populi sui conuentum habuit, Concilium Episcoporum ex omnibus regni sui prouinciis in eandem villam conuocauit. Affuerunt etiam in eadem Synodo & Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Theophylactus, & Stephanus, Episcopi vicem tenentes eius, à quo missi sunt, Adriani Papæ. In eo Concilio & hæresis memorata condemnata est, & liber, contra eam communi Episcoporum autoritate compositus, in quo omnes proprius manibus subscripserunt. Synodus etiam, quæ ante paucos annos Constantinopoli sub Helena & Constantino filio eius congregata, & ab ipsis non septima. verùm etiam vniuersalis est appellata, vt nec septima, nec vniuersalis diceretur, haberetur; quasi superuacua, in totum ab omnibus abdicata est.* Quæ ad verbum descripta ex Annalibus rerum gestarum à Carolo Magno. Consentit Ado, consentit Hincmarus, consentit Vrspergensis.

VI. Sed quid opus tot testibus? Habes eius Synodi capita tandem edita ad finem operum Alcuini. In iis primùm de Felice & Elipando: at secundum ita habet. *Allata est in medium quæstio de noua Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt: in qua scriptum habebatur, vt qui imaginibus sanctorum, ita vt deificæ Trinitati seruitium aut adorationem non impenderent, anathema iudicarentur. Qui suprà sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & seruitutem renuentes contempserunt, atq; consentientes condemnauerunt.*

VII. Hìc mihi nota posteriorum autorum ingenium. Nam qui præcedunt seculum vndecimum, ea habent, quę nos expressimus, diserte distincta capita. At recentiores variant, & ita, vt facile videas, veritatem dissimulatam voluisse. Sunt, qui omittant prorsus, vt Sigebertus, & Rolleuikius. Sunt qui de hæresi Feliciana tantùm loquantur. Schafnaburgensis, *Hæresis Feliciana damnata est in Synodo Franconofurt, & Vastrat regina obijt.* Est qui, in parte de Imaginibus, meminit tantùm Iconoclastarum. Mutius lib. 9. *Visitauit omnes terras sibi subiectas, præsertim Franciam Orientalem in Germania, Conciliumq; Francofurti celebrauit, multis Episcopis, monachis, & sacerdotum præpositis illic congregatis. In eo Concilio damnata est Felicianorum hæresis, & opinio eorum, qui imagines in templis non ferendas putant, & docent.* Imò Platina tam fuit supinus, vt vtramq; partem in vnam confunderet, *Theophylactus & Stephanus, Episcopi insignes, Hadriani nomine Synodum Francorum, Germanorumq; Episcoporum habuere: in qua & Synodus, quam septimam Græci appellabant, & hæresis Feliciana de tollendis imaginibus abrogata.* Inde Blondus Decadis 2. lib. 1. Sabellicus Enneadis 8. libro 8. Paulus Æmylius libro 2. de gestis Francorum, quos citat Bellarminus. Vnus Auentinus libro 4. antiquis consentit, *Scita Græcorum de Imaginibus adorandis rescissa sunt.*

VIII. Sed liberant nos prolixiori disputatione, tum Bellarminus ipse, tum Baronius, *Optarem*, inquit ille, *hanc sententiam esse veram: sed suspicor esse falsam:* & addit suspicionis argumenta. Baronius anno septingentesimo nonagesimo quarto, & prolixe contra eam Synodum disputat, & contradicit recentiorum illorum sententiæ, qui negabant damnatam Nicænam, *Cùm constet*, inquit, *eam ab illis assertam damnatam fuisse septimam Synodum, quæ pro cultu sanctarum imaginum statuta fuit: vtiq; ad Nicænã, non ad Constantinopolitanam, eandẽ septimam damnatam Synodũ esse referendam, licet sit ab illis erratũ in nomine, æquus arbiter iudicabit: nec nos tale iudiciũ subterfugimus.*

IX. Hæc cùm ita sint, iam disputatur contra ipsam Synodum, negatur que in ea quicquam esse momenti. Tum etiam ex ea contra nos. Nam momenti

menti nihil ineſſe probant, quia cedere debeat Nicænæ, vniuerſali particularis. Secundò, quia improbata fuerit ab Adriano Papa, abſque cuius conſenſu, nihil habeat autoritatis vlla Synodus. Atque adeo ipſa illa Synodus, præcipuo argumento Nicænam impugnat, quia facta fuerit ſine autoritate Romani Epiſcopi: ſic enim putabat. Baronius addit primò humana quædam æmulatione contra Græcos, fuiſſe motos Gallos; quia fefelliſſent ſpem de matrimonio Conſtantini cum Caroli filia. Secundò, fuiſſe illis impoſitum à Græcis aſſerentibus Nicænam Synodum, & deſtitutam conſenſu Adriani: & ſanxiſſe imagines adorandas eodem cultu cum Trinitate. Iam contrà nos. Eadem Synodus noluit imagines tolli è templis: ſed manere potius, dum ne adorantur. Cur ergo non ita fit? cur è templis tolluntur? cur franguntur?

X. Sed de comparatione Nicænæ & Francofurtenſis, idem iudicium, quod prius, cùm comparabantur Conſtantinopolitana & Nicæna. De conſenſu Papæ dictum item ſatis. Falſum verò Francofurtenſes hoc tanquam præcipuo argumento niti contra Nicænos: etſi verum, capite ſexto aſſeri conſulendam eſſe Romanam Eccleſiam in omnibus de fide quæſtionibus. Sed præcipua iis ratio fuit impugnandi Nicænos, à Scriptura, & autoritatibus Patrum. Poſtea autem Synodus Pariſienſis, etiam Adrianum auſa eſt accuſare, quòd inconſultè refutaſſet Francofurtenſes, *Fauendo illis* (inquiunt) *qui eius inſtinctu tam ſuperſtitioſa, tamq; incongrua teſtimonia memorato operi inſeruerant, per ſingula capitula in illorum excuſationem reſpondere quæ voluit, non tamen quæ decuit, conatus eſt.* Et pòſt, *Pars illa quæ debebat errata corrigere, ſuaq; autoritate huiuſce ſuperſtitionis errori obniti, ipſa prorſus eidem ſuperſtitioni, non ſolùm non reſiſtere, verùm etiam incauta defenſione contra autoritatem Diuinam, & ſanctorum Patrum dicta nitebatur ſuffragari.*

XI. En tibi verò æmulationem contra Græcos. Phui quantum ſubtilitatis in vno Baronio! Nam nemo vnquam aduerterat. Sed Papiſtæ nullum non mouent lapidem, vt ſibi conſulant. Nihil ſuſpicantur de Irene, muliere Ethnica, & crudeliſſima: cuius ſcelera cœlum ipſum horruit: ratio diſſimulandi, quia imaginum adorationem reſtituit. De Taraſio nihil, qui ex laico ſubito factus eſt Epiſcopus: quia Irenæ miniſter fuit, ad eam adorationem. Sed garriendi de Gallicis Germaniſque Patribus, anſam illis ſatis iuſtam præbet eiuſdem adorationis impugnatio. Ita nihil iſti credunt, ex vi rationum: ſed occupati iam certa perſuaſione, rationes quæritant; atque adeo cum non inueniunt, fingunt. Ita non potuit ſeſe Baronius magis ridiculum exhibere. Enimuerò quale id iudicium fuiſſe oportet; qui earum infectarum nuptiarum occaſione, eos habet ſuſpectos, ad quos ea offenſa, ſi quæ erat, nihil pertinebat: ipſum autem Carolum, ad quem propriè ſpectabat, totis viribus laborat omni ſuſpicione liberare? Id verò præpoſterum eſſe quis non videat?

XII. Impoſtura longè minus vlla eſſe potuit. Facta eſt enim ea Synodus, non vt antea Gentiliaca, non vt poſtea Pariſienſis, ex literis Græcorum, à quibus erant etiam accepta munera: ſed abſentibus Græcis, ex literis Romani Pontificis, & præſentibus eius legatis Theophylacto, & Stephano. Quod ſi vlla impoſtura fuiſſet, multò veriſimilius à præſentibus, quam ab abſentibus: à Romanis, quam à Græcis. Sed enim, quæ illa impoſtura fuit? Perſuaſum eſt non aſſenſiſſe Adrianum. Et hoc ego ſanè miror, qui fieri potuerit, præſentibus legatis ipſis. Nam ſi nulli fuiſſent, poterant labi Patres, vt eam cenſerent non conſenſiſſe, Eccleſiam, quam nollent, cui mulcum deferrent. Sed præſentes, videntes, audientes, legati Romani, quomodo paſſi ſunt? Eum verò nodum valde ſolui velim à Baronio, magno illo hiſtoriarum Helluone. Mihi hæc ſola ſuſpicio occurrit: Cùm viderent tantum omnium Epiſcoporum conſenſum, contra imagines, non auſos profiteri ſui Papæ ſententiam: ideoque diſſimulaſſe. Sed parum hic, aut nihil momenti: non enim aut ſola, aut præcipua, ratio fuit Epiſcopis diſſentiendi, aſſenſus diſſenſusve Romani: ſed ipſa portentoſa definitio Nicænorum.

XIII. At enim, falſo etiam perſuaſi fuere de ea definitione. Qui potuit, inquam, fieri? Iterum enim dico, non didiciſſe à Græcis iconomachis, quid Nicæ; eſſet tranſactum: ſed à Latinis iconodulis: ab ipſo, inquam, Romano Pontifice, à quo etiam Acta ipſa miſſa erant. Atque adeò, liber Carolinus eorum Actorum refutationem continet. Sed crediderunt decretum, vt eodem cultu imagines adorarentur, cum Deo. At ego in Carolino libro nihil eiuſmodi video: Nam quod citant ex Capitulari miſſo ad Adrianum, quid ſit neſcio: Capitulare enim non vidi. Sed tamen rem ipſam non verba æſtimantibus, potuit facilè eiuſmodi non nihil in mentem venire. Neque enim in ea Synodo actum duntaxat de honorandis imaginibus, ſed etiam diſerte de adorandis; & quidem cultu religioſo. Atqui adorationem religioſam Catholici nunquam cuiquam detulerunt, niſi Trinitati ſoli: Tum autem hæc legas, Actione 2. *Venerandas imagines ex toto corde, cum debito honore, & ſalutatoria adoratione ſuſcipio.* Et poſt, *perfectè eas adorans.* Hæc verò quid relinquunt viuificæ Trinitati eximium? Tum autem, quid noſtri Papiſtæ habent quod excipiant, qui imaginibus quibuſdam dicunt tribuendam latriam: nimirum imaginibus ſaltem Trinitatis, & Chriſti, & Crucis?

XIV. De retinendis imaginibus facilius negotium. Primo hæc quæſtio eſt ſeparata, de qua agendum erit proximo libro. Deinde, etſi probemus prohibitam adorationem, non eſt tamen neceſſe probare retentionem, cùm ſibi etiam Papiſtæ permittant dimidiate Concilia, vt partim probent, partim improbent: Deniq; ipſe euentus probauit longe conſultius egiſſe Conſtantinopolitanos, quam Francofurtenſes: quia non poteſt, relictis imaginibus, in tuto eſſe Eccleſia ab idololatria: quæ ſe etiam cohibita obiiciat, & coercita, vires reſumat: etiam extirpata repullulet. Nam in ipſa Eccleſia Gallicana, etſi poſt hanc Synodum multis annis perſeuerarit ſententia de non adorandis imaginibus; vt facile apparet, non tantum ex Pariſienſi Synodo, ſed etiam ex Agobardo, Aimonio, aliis: tamen retentus earundem imaginum vſus, ornatum, & hiſtoriam mutauit tandem in apertam idololatriam. Itaq; nihil conſultius iis, qui ſaluam volunt Eccleſiæ ſinceritatem, quam omnino imagines ab Eccleſiaſtico vſu deturbare.

XV. Hactenus de Concilio. De libro, qui exſtat Caroli nomine, prolixe Bellarminus, ſed & Baronius: neque eſſe Caroli, neque vllam fidem mereri: quia Adrianus eam accurate refutauit: ex eaque refutatione colligitur ab aliquo hæretico fuiſſe compoſitum, non autem à Carolo. Secundò, quia Papæ defecerint ab Imperatoribus Græcis, ad Carolum, quia illi eſſent Icomachi; quod non ſit veriſimile, ſi ipſe Carolus fuiſſet Iconomachus. Tertiò, quia Ionas Aurelianenſis libro 1. de Cultu imaginum, Imperatorem vocat piiſſimum, ac ſanctæ memoriæ: negatque Claudium Tauriſinenſem, viuente Carolo, auſum fuiſſe mutire. Quartò, Paulus Æmilius libro ſecundo hiſtoriæ Francorum, & Rhegino in Chronico, in Concilio Gentiliaco, teſtantur Pipinum Caroli Magni patrem, Græcorum errorem contra ſacras imagines confutaſſe præſentibus legatis Græcis. Et Carolum Magnum miſiſſe Romam Epiſcopos duodecim, ad Concilium contra Græcorum errorem: Quintò, conſtat Carolum coniunctiſſimum fuiſſe Adriano. Sexto, Carolus fuit Græce, Latineque peritus, prudens, ingenioſus: Hic autem liber, hominis eſt barbari, imperiti, leuis, ac pene ſtulti: qui Conſtantinopolin in Bithynia ponit: & Concilium pro imaginibus Conſtantinopoli celebratum aſſerit: & per calumniam multa tribuit Nicænis, vt Euchariſtiam eſſe imaginem corporis Chriſti. Septimò, liber prodiit ſine patre, ſine matre, ſine genealogia: repente, vt neſciatur quando, aut vbi, aut quomodo, aut à quo repertus ſit: abſque nomine autoris, impreſſoris loci. Quæ ſunt omnia argumenta, atque indicia fraudis.

XVI. Reſpondeo, librum illum vere non eſſe Caroli, tanquam autoris, à quo ſit compoſitus: ſed Synodi Francofurtenſis, quæ; quùm eſſet mandato Caroli congregata, librum hunc compoſuit contra cultum imaginum: eſſe autem editum nomine Caroli, quomodo eidem & Ludouico filio, tribuuntur Capitula legum Eccleſiaſticarum, quæ tamen non compoſuerant Imperatores, ſed eorum autoritate Epiſcopi in Synodis. Quomodo etiam olim Conſtantini nomine abiit ad omnes Eccleſias Epiſtola de decretis Synodi Nicænę. Et deinceps non rarò. Hoc poſito nihil eſt difficile. Adrianus refutauit eum librum, vt compoſitum ab alio quolibet: intererat enim, vt ne regem ipſum violaret: cuius gratiam conſeruare volebat. Defeciſſe ab Imperatoribus Græcis Romanos Epiſcopos verum, & cauſſam prætuliſſe imaginum cultum: ſed potiſſimam fuiſſe, quia iam nihil erat in ijs auxilij, contra hoſtes præſentes. At Carolus contra erat in Occidente potentiſſimus: à quo niſi protegerentur: nihil certius, quam præſentiſſimum exitium. Tum autem Carolus imagines non effringebat, vt Græci: itaque potuit Romanus facile reliqua diſſimulare. Quod cur illi minus licuerit, quam nouiſſimis Papis, in noſtris regibus non admiſſum Tridentinum conciliabulum? Nec mirum, ſi Ionas Imperatorem vocat piiſſimum. Nam is profectò de imaginibus idem ſentiebat, quod erat ſtatutum Francofurti; vt patebit paulo pòſt; & Baronius in hac ipſa diſputatione agnoſcit. Reprehendit autem in Claudio imaginum diſturbationem, quam etiam Carolus non probabat: itaque facile crediderim Claudium non auſum id agere, aut ita ſcribere viuente Carolo. Sed id nihil ad hanc rem.

XVII. At Bellarmini inſigne mendacium eſt de Concilio Gentiliaco. Nam à Pipino confutatam Græcorum de Imaginibus ſententiam coram Legatis, neque Æmylius dixit, neque Rhegino. Hunc lege, *Anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo ſeptimo, Rex in ſupradicta villa* (Gentiliacum nominauerat) *Synodum magnam habuit inter Romanos & Græcos de Sancta Trinitate, & de ſanctorum imaginibus: & poſt hæc Aquitaniam ingreſſus eſt per Narbonam.* Quid hic de confutatione? Æmylius, *Gentiliaci Pariſiorum conuentus Patrum habitus. Græci oratores Cæſarem ſuum admonere iuſſi, vt cum cæteris piis ſentiret.* Et hic rurſus quid de confutatione? Nam cùm pijs ſentire, intellige vel de Sancta Trinitate, id eſt, de proceſſione Spiritus: vel de confringendis imaginibus: vtrumque nihil contra Carolum. De duodecim Epiſcopis Romam miſſis actum antea: quid ab ijs geſtum ſit, incertum: ſuone calculo imaginum adorationem probarint, an victi ſint numero. Nam quòd interfuerint, quid habet momenti? Etiam Theophilactus & Stephanus, Legati Romani, adfuere Francofurti.

XVIII. Carolum fuiſſe coniunctiſſimum Adriano, aut Adrianum potius Carolo ſcio. Enimuerò Adriano vtilis erat coniunctio: nec temere intermittenda. Sed hæc coniectura, non ſufficit ad euertenda acta Synodi. Carolus peritus fuit Græce & Latine. Neque ego certe video, quid habeat Bellarminus, quo inſultet hac parte autoribus eius libri: aut quod indignum ſit etiam peritiſſimis eius temporis. De Conſtantinopoli, & Bithynia, excuſari potuit error in ijs qui tanto terrarum ſpatio diſtabant à Conſtantinopoli: illud etiam de Euchariſtia imputari per imprudentiam Nicæno cœtui: ſed has leues coniecturas nunquam quæſiuiſſet, niſi qui ſe deſtitutum ſentiret certioribus argumentis. Liber autem editus eſt (quod extremum erat in obiectionibus Bellarmini) Lutetiæ à Ioanne Tillio Epiſcopo, eodem qui edidit Luciferum. Editus autem anno ſuperioris ſeculi quadrageſimo nono. Erutus ex bibliothecis, vbi manuſcriptus delitescebat. Teſtimonium habet ab Auguſtino Steucho, qui in Apologia Donationis Conſtantinianæ teſtetur ſe vidiſſe in Bibliotheca Vaticana, elegantibus & priſcis Longobardorum characteribus exaratum. Quòd non ſit additum nomen editoris, impreſſoris, & loci: obſeruandum id factum ante quam Conciliabulum Tridentinum has falſitatis cauſſas adinueniſſet, aut certe publico decreto ſanciuiſſet. Quid tum autem, ſi hæc recentiſſima teſtimonia deſunt, cùm res ipſa vetuſtioribus argumentis confirmetur?

XIX. Atque hactenus de Concilio Francofurtenſi. Habuit etiam Bellarminus quo obiiceret Synodo Pariſienſi, appendice ad tractatum de cultu imaginum. Nec Synodum eſſe, nec ſcriptum luce dignum. Primò, nulla ſunt decreta: nulli Canones, nulla Epiſcoporum ſubſcriptio: Ergo nulla Synodus. Secundò ipſe liber, *Nos non Synodum congregando, ſed quemadmodum à vobis poſtulauimus, licentiamq; agendi percepimus, vna cum familiaribus noſtris, filiis veſtris, quantum pro multiplicibus regni diuerſis occupationibus impediti, per interualla potuimus, conſiderare ſtuduimus, quid almitati veſtræ de tanta neceſſitate ſignificare potuiſſemus.* Ergo nulla Synodus. Tertiò, Zonaras, Cedrenus, alij, teſtantur Michaelem Balbum, virum fuiſſe impium & ſceleſtiſſimum, magis Hebraicæ ſuperſtitioni, quam Chriſtianæ pietati addictum: reſurrectionis negantem, Prophetas & Apoſtolos irridentem: fornicationem licitam aſſerentem, cœlibatum contemnentem: ſeptimam Synodum reſpuentem, Iconomachis fauentem. At is tamen in eo libro fingitur nihil optare, niſi Eccleſiæ reformationem: deplorare etiam necem ſui prædeceſſoris, cuius tamen ipſe autor fuerit. Quartò, varie calumniatur eos qui imaginibus fauebant, quaſi imagines adorarent tanquam deos: & varijs ſuperſtitionibus indulgerent: quibus ſi fidem habuerunt Galli, ergo circumuenti ſunt atque decepti: ſi non habuerunt, ergo abuſi ſunt ſuis literis, vt

tis, vt persuaderent Papæ, vt maiorum suorum acta rescinderet. Quintò, satis audacter iudicium sibi de scriptis Papæ sumpserunt, ac de generali Synodo: atque ita iudicem suum, imò totius mundi, iudicare: & Pastorem ouium Christi pascere, & Doctorem vniuersorum docere non erubuerunt. Sextò, testimonia notissima, & vulgaria, & quæ nihil ad rem faciunt, sine vlla ratione vel ordine collegerunt. Septimò, in eodem, Epistola fingitur scribenda à Papa ad Græcos Imperatores, indigna tamen Papa. Est enim verbosa, obscura, barbara, imperita. Papam facit adulatorem Imperatoris impij, quem dicit, Domino disponente & committente, Ecclesiam gubernare. Repetit sæpe, *Si nulla vnquam picta vel ficta fuisset imago, nihil periret de fide, spe, & charitate, quibus ad regnum venitur æternum.* Ex quo sequitur imagines omnino de medio tollendas, contra quàm volunt. Reprehendit Constantinum, & Irenem, quòd edicto iusserint imagines adorari: quod à Pontifice scribi non potuit. Octauò, Epistolæ Ludouici ad Papam, & ad Hieremiam, Ionamque Episcopos, redolere videntur fraudes recentium hæreticorum. Vnde suspicio est, totum librum vel confictum esse, vel depraua tum, & auctum, ad inuidiam Ecclesiæ Romanæ conciliandam.

XX. Verùm, nihil obstat, quominus Synodum fuisse dicamus, id est, conuentum Episcoporum consultantium de rebus Ecclesiæ. Et ita testantur ipsi statim initio, scribentes ad Augustos, *Nos serui, ac fidelissimi oratores vestri, qualiter proximis Calendis Nouembris apud Parisiorum vrbem iuxta præceptum vestræ magnitudinis in vnum conuenimus, qualiterque de negotio à vestra pietate nobis iniuncto, de causa videlicet imaginum egerimus, ad memoriã vestræ celsitudinis reducimus.* Testantur ipsi Augusti scribentes ad Hieremiam, & Ionam Episcopos, *Venerunt ad præsentiam nostram Halitgarius & Amalarius Episcopi VIII. Id. Decemb. deferentes collectiones de libris Sanctorum Patrum, quæ in conuentu apud Parisios habito simul positi collegistis, quas etiam coram nobis perlegi fecimus.*

XXI. Ad primum argumentum Bellarmini. Primò, nullum decretum fuisse, falsum: nam hoc ipsum decretum est, vt scriberetur ad Romanum Episcopum, vt vtrique parti satisfaceret, nec delendo imaginis, nec iubendo adorari. Quod attinet ad Canones, non hanc solam nullos habere, sed & alias. Enimuerò, quintam & sextam nullos condidisse, certum: qui postea conditi sunt in Trullo, eos pro nihilo esse volunt Papistæ. Agrippinensis nullos habet: nullos Aquileiensis, nullos Telensis. Subscriptionibus etiam carent nonnullæ: Arelatensis prima, Gangrensis, Carthaginensis prima, Romana sub Iulio primo: Agrippinensis, Laodicena: aliæ.

XXII. Ad secundum: ea verba, quæ recitantur, sunt ex Epistola, quam scribendam censebant ab Imperatore ad Papam, cum quo sic agendum putabant, vt ne eius vehementia irritaretur: itaq; non autoritatem, decretumq; Synodi prætendere, sed voluerunt duntaxat familiaris deliberationis obtendere consultationem. Quicquid sit, constat Episcopos Galliæ conuenisse, saltem quosdam, neque eos vltimos, & de imaginibus suam sententiam dixisse, conformem Synodo Francofurtensi: vnde patet tum in Galliis ita fuisse Christianos institutos. Et quid in eo minus est, quæso, quàm in Concilio delectorum Cardinalium à Paulo tertio?

XXIII. Ad tertium. Fuisse Michaelem piissimum, non asseruerim equidem. Sed nimium tamen calumniose laceratum à Zonara, & Cedreno, Iconolatris, sic credo, quomodo Irenem nimis adulatoriè laudatam; ob imaginum amorem, mulierem aliàs sceleratam: quæque non alieno vim intulit, vt Michael; sed ipsi proprio filio: neque ad vitæ conseruationem, vt Michael, sed ex impotenti, superboque dominandi appetitu. Sed potuit tamen Michael, si quid habuit non religiosum, pietatem nihilominus prætexere. Quomodo hoc nostro seculo, Philippum Hispanum vidimus suum de Galliis inuadendis, subigendisque, consilium, solo pietatis amore fucasse; & eam ob caussam adiutum fuisse & à Papa; & à Iesuitis; & à Papistis reliquis ferè omnibus.

XXIV. Ad quartum, primò calumniosa illa esse vix probabit Bellarminus: non enim Michael recitat quæ decreta fuerint in Synodo Nicæna: sed quæ fierent à zelatoribus eius Synodi. Porrò certum, non ibi subsistere, vnde cœperunt exempla: sed longè vagari latius: & imperitæ plebi nullum finem esse peccandi. Itaq; non dubitandum, multa olim commissa solutius, quam putabant, qui erant in Nicæa Episcopi: sed eos cogitare oportuerat, facilius prohiberi mala; quam semel permissa, regulis certis cohiberi. Secundò, Episcopos Gallos nego his siue calumniis, siue veris accusationibus animum attendisse: sed tantum dissensioni, quam esse in Græcis Ecclesiis, lippis erat, & tonsoribus notum: Atque en argumentum; quod de iis nihil pronunciant, sed duntaxat de Thesi, an essent confringendæ, an verò adorandæ imagines. Nec sequitur, Gallos ergo perperam autores fuisse Papæ, vt maiorum acta sua rescinderet: nam id consilium, non ex iis calumniis oriebatur, sed ab ipsa quæstione: quia impium erat imagines adorari.

XXV. Ad quintum: nondum fuisse persuasum eius tempestatis Christianis impeccabiles Romanos Episcopos: & nulli censuræ obnoxios esse. Quomodo enim? quum vix his postremis temporibus, & in odium veritatis, cœperit ea obtinere sententia, inter Papistas? Veteres autem Christiani Papam libenter, & quidem aliquando audacter non monebant tantum, sed etiam reprehendebant. Itaque hoc argumentum nullius ponderis est, nisi apud eos qui obedientiam vouerunt cæcam, vt Iesuitæ appellant, siue irrationalem, vt Cusanus. Nicænam autem Synodum, fuisse Oecumenicam, non erat Gallis persuasum.

XXVI. Ad sextum: non equidem præstiterim omnia, quæ in iis actis colliguntur: & libens fatear, esse quædam, quibus pondus sit leuius: sed esse tamen multa bona, soli negent οἰκονομικῶς. Itaque Bellarminus ex toto eo numero, quinque testimonia potuit, nec plura, decerpere, quæ infirmaret.

XXVII. Ad septimum: Epistolam illam, facilè concedo esse verbosam, obscuram, barbaram, imperitam. Sed hæc ipse Bellarminus agnoscit ei seculo condonanda, quo multæ prodierunt lucubrationes deteriores. Reliqua non difficile purgantur. Adulatur Imperatori. At hoc falsum. Quid enim? Michaelem dixit regere Ecclesiam. Mirum, ni Ethnicos diceret, aut Turcas. Verùm sermo erat de eo, cui esset Imperium in Christianos: Christianos autem esse Ecclesiam nemo ignorat. At enim Deo, ait, disponente, & committente. Mirum, inquam, ni pro Deo Papam Bellarminus voluerit. Verum tamen nunquam fuit Christianis persuasum, Dei id ius non esse, vt tradat, auferat, transferat imperia. Et audire velim, quid de Phoca iidem Romani Pontifices iudicarint: & vtrum negarint, Deo disponente, committente, adeptum esse Imperium. Quod dicitur non magni interesse, quum nulla vnquam fuisset ficta, pictáve imago, rectè dicitur. Neque inde necessariò sequitur, abolendas omnino imagines, quod Bellarminus somniauit. Rectè etiam reprehenduntur Constantinus, & Irene: neque indignum id fuisset Episcopo Romano: si se Episcopus Romanus, pro Catholico gerere maluisset, quàm adoratore imaginum.

XXVIII. Ad octauum, benè est, quod sibi Bellarminus fatetur nihil occurrere, quod carpat in Epistolis Imperatoris. Ergo, inquam, quòd eas redolere ait fucum recentium hæreticorum, eò pertinet tantùm, vt prodat suam κακοήθειαν, quæ etiam, nulla oblata caussa, suspiciones malas quærat. Ille quidem viderit. At sani de re ipsa iudicabunt ex reipsa potius, quam ex temeraria Iesuitarum audacia, & superbo Cardinalium fastu.

CAP. XV.

Testimonia Patrum contra Adorationem Imaginum.

I. HActenus Concilia. Transeo ad singularia Patrum testimonia. Hieronymus in Danielis tertium. *Siue statuam, vt Symmachus, siue imaginem auream, vt cæteri transtulerunt, voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent. Ergo iudices & principes seculi, qui Imperatorum statuas adorant, & imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes, placuerunt Deo. Et notanda proprietas, Deos coli, imaginem adorari dicunt: quod vtrumq; seruis Dei non conuenit.* Loquitur, (inquit Bellarminus) de statuis regum, qui habebantur pro diis, & quorum statuæ diuinis honoribus afficiebantur. Reprehendit enim eos, qui id faciunt, quod tres pueri facere noluerunt in Babylone. Mirum verò, quòd non etiam seruos Dei, intelligat Iudæos: quia tres illi pueri, erant Iudæi. Quanquam illud de diuinis honoribus agnoscimus verum, atque huius reprehensionis verissimam caussam: nam omnis religiosus cultus, est honor diuinus, ac proinde, quicquid religiose colitur, ei dicendum est deferri honores diuinos. Reliqua inepta sunt. Nam statuas habitas esse pro Diis, hoc verò numquam factum. De statuis regum solis, concedam loqui Hieronymum, si eis solis constiterit non deferendos honores diuinos. Alioquin, quemadmodum seruos Dei, intelligimus omnes fideles, siue ex Iudæis siue ex gentibus: etsi Hieronymus ageret de tribus pueris: sic imagines omnes, siue regum, siue sanctorum: etsi eidem sermo esset de regiis duntaxat. Nihil enim obstat, quominus, ex particulari exemplo, inferatur doctrina vniuersalis.

II. Augustinus de moribus Ecclesiæ Catholicæ capite 34. *Nolite mihi colligere professores nominis Christiani, nec professionis suæ vim, aut scientes, aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, vt obliti sint, quicquid promiserint Deo. Noui multos esse sepulcrorum & picturarum adoratores: noui multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant, & epulas cadaueribus exhibentes, super sepultos, seipsos sepeliant, & voracitates ebrietatesq; suas deputent religioni.* En tibi sepulcrorum & picturarum adoratores numeratos ab Augustino inter professores nominis Christiani, nec professionis suæ vim aut scientes, aut exhibentes: numeratos inter turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt.

III. Bellarminus tripliciter. Primò, fortè de Idolis gentium. Secundò, fortè de quibusdam, qui sanctorum imagines superstitiose colerent; adeò vt accederent ad idololatriam. Fuisse enim quosdam Christianos, qui imagines quasi Deos adorarent; teste Damasceno de hæresibus ad finem. Tertiò, librum eum ab Augustino scriptum in primordio conuersionis suæ; & ideo putasse quosdam ritus sapere idololatriam. Sed postea melius edoctum sententiam mutasse. Argumento est; quòd qui ponerent epulas super tumulis mortuorum, eos offerre cadaueribus dixit: ac proinde sepulcrorum adoratores appellauit. At lib. 8. de Ciuitate Dei c. vlt. non dixit offerre mortuis; sed solum ponere cibos super tumulos Martyrum, sperantes à Deo illos sanctificari per Martyrum preces.

IV. Sed contrà; in primo & secundo, nihil est à Bellarmino assertum; sed titubanter indicatum, duntaxat, magno infirmæ caussæ testimonio. Quanquam ego secundum censeo esse certissimum. Omnino enim ita est; eos qui adorent imagines accedere ad idololatriam: neque debuit à Damasceno dici de quibusdam Christianis; sed pronunciari de omnibus iconolatris. Primum autem inane est, & alienum: nam, vbi lectum à Christianis coli imagines Ethnicorum? Scriptum librum de moribus Ecclesiæ, sub initia conuersionis Augustini ad Christum, verum est: sed nihil habet momenti. Non enim quæcumque ille tum scripsit, ideo falsa sunt. Et quæ falsa fuerunt, non oblitus est retractare: hoc autem non retractauit. Ne illud quidem de epulis: nam etsi non adeò seuerè exagitet, in libris de Ciuitate, tamen negat fieri à melioribus Christianis.

V. Origenes contra Celsum libro 7 οὐ τιμῶμεν τὰ ἀγάλματα, κἂν ἐφ' ὅσον τὸ μὴ, τὸ ὅσον ἐφ' ἡμῖν, καταπίπτειν εἰς ὑποψίαν τοῦ εἶναι τὰ ἀγάλματα θεοὺς ἑτέρους. *Statuas non honoramus, etiam ne, quantum in nobis est, incidamus in suspicionem, quæ putet eas statuas esse Deos alienos.* In Exodum homilia 8. *Nunc sermo Dei vniuersa complectens, simul abiurat, & abiicit, & non solum idolum fieri vetat: sed & similitudinem omnium quæ in terra sunt, & in aquis, & in cœlo. Addit autem, & dicit, Non adorabis ea neq; coles ea. Aliud est colere, aliud adorare. Potest quis interdum & inuitus adorare, sicut nonnullis regibus adulantes, cùm eos ad huiuscemodi studia deditos viderint, adorare se simulant idola cùm in corde ipsorum certum sit, quia nihil est idolum. Colere verò est, toto his affectu, & studio mancipari. Vtrumque ergo resecat sermo diuinus, vt neq; affectu colas, neq; specie adores.* Satin' disertè? Primò enim distinguit idolum à similitudine: illud rei non extantis: hanc contrà. Distinguit colere, & adorare, illud affectu, hoc specie. Omnia vetita. Nempe primò, Idola affectu colere: secundò, idola specie adorare. Præcidit omnes Papistis exceptiones: & quas ab Idolis, & imaginibus petunt: & quas à latria & dulia.

VI. Tertullianus de Idololatria cap. 4. *Imaginum consecratio idololatria.*

Et is:

Et 15. *Illud exemplum trium fratrum præcucurrit, qui alias obsequentes erga regem Nabuchodonosor, honorem imaginis eius constantissime respuerint, probantes idololatriam esse, quicquid vltra humani honoris modum, ad instar diuinæ sublimitatis extollitur.*

VII. Lactantius libri 2. c. 1. *Nobis proprie datum est, cœlum rigidis ac stantibus intueri, vt religionem ibi quæramus: vt Deum, cuius sedes illa est; quem oculis non possumus, animo contemplemur: quo profecto non facit, qui ex aut lapidem, quæ sunt terrena, veneratur.* capite secundo; *Non intelligunt homines ineptissimi, quod si sentire simulacra, & moueri possent, vltro adoratura homines fuissent, à quibus sunt expolita.* Et post, *Humi miseri volutamini, cum deorsum quæritis, quod in sublimi quærere debuistis. Nam ista mortalium digitorum ludicra, & fragilia figmenta, ex quolibet materia genere formata, quid aliud sunt nisi terra, ex qua nata sunt? Quid ergo rebus inferioribus subiacetis? quid capitibus vestris terram superponitis? Cum enim vos terræ submittitis, humiliores q; facitis: ipsi vos vltro ad inferos mergitis, morteque damnatis quia nihil terra inferius & humilius, nisi mors & inferi. Quæ si effugere velletis, subiectam pedibus vestris terram contemneretis, corporis statu saluo: quod idcirco rectum accepistis, quo oculos atque mentem cum eo qui fecit conferre possetis. Contemnere autem, & calcare terram, nihil aliud est, quam simulacra non adorare quia de terra ficta sint: item diuitias non concupiscere, voluptates corporis spernere: quia opes & corpus ipsum, cuius hospitio vtimur, terra est. Viuum colite vt viuatis: moriatur enim necesse est, qui se suamque animam mortuis adiudicauit.* Et 19. *Quicumque sacramentum hominis tueri, rationemque naturæ suæ nititur obtinere ipse se ab humo suscitet, & erecta mente oculos suos tendat in cœlum: non sub pedibus quærat Deum, nec à vestigiis suis eruat, quod adoret. Quæ quicquid homini subiacet, infra hominem sit necesse est. Sed quærat in sublimi quia nihil potest homine maius esse, nisi quod fuerit supra hominem. Deus autem maius est homine. Supra ergo, non infra est nec in ima potius, sed in summa regione quærendus est. Quare non est dubium, quin religio nulla sit, vbicumque simulacrum est. Nam si religio ex diuinis rebus est, diuini autem nihil est, nisi in cœlestibus rebus: carent ergo religione simulacra: quia nihil potest esse cœleste in ea re, quæ fit ex terra. Quod quidem de nomine ipso sapienti apparere potest. Quicquid enim simulatur, id falsum sit necesse est nec potest vnquam veri nomen accipere, quod veritatem fuco, & imitatione mentitur. Si autem omnis imitatio, non res potissimum seria, sed quasi ludus ac iocus est: non religio in simulacris, sed minus religionis est.*

VIII. Augustinus de vera religione c. 55. *Non sit nobis religio humanorum operum cultus: meliores sunt enim ipsi artifices, qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus.* In Psalmum 113. Concione 2. *Noli addere manus hominum, vt ex eo metallo quod fecit verus Deus, velis facere falsum deum, imo falsum hominem, quem pro vero venereris Deo: quem quisquis pro vero homine in amicitiam reciperet, insaniret.* Retractationem 1. *Quod dixi, Nihil omnino colendum esse, totumque abiiciendum quicquid mortalibus oculis cernitur, quicquid vllus sensus attingit: addenda erant verba, vt diceretur, quicquid mortalis corporis vllius sensus attingit.* Pronunciatum hoc est generale, & reliquias etiam comprehendens: nam has, non secus ac imagines corporeus sensus attingit.

IX. Epiphanius, quum vidisset velum pendens in Ecclesia, in eoque imaginem siue Christi, siue sancti alterius, zelo motus scidit velum, pronuncians id fieri contra religionem Christianam. Sed de eo prolixius agendum erit libro proximo. Interea, si non potuit pati pendentem in velo; quanto minus adoratam? In Gallia Serenus Massiliensis Episcopus; quum populum suum videret abuti imaginibus ad idololatriam, euertit imagines. Quod etiam postea fecit in diœcesi Taurinensi, quam suæ fidei habebat commissam. Itaque à Papistis numerantur, Epiphanius, Serenus, Claudius inter Iconoclastas.

X. Gregorius Romanus, eius nominis primus; Sereni factum improbauit; vt tamen negauerit adorandas imagines. Libri 9 Epistola 9. *Perlatum ad nos fuerat, quòd inconsiderato zelo succensus, sanctorum imagines, sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem eas adorari vetuisse, omnino laudauimus, fregisse verò reprehendimus.* Et post. *Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere.* Rursus. *Conuocandi sunt dispersi Ecclesiæ filij, eisq; Scripturæ sacræ est testimoniis ostendendum, quia omne manufactum adorare non liceat: quoniam scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Iterum, *Si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe: adorare verò imagines, omnibus modis deuita. Sed hoc sollicitè fraternitas tua admoneat, vt ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis Trinitatis humiliter prosternantur.*

XI. Ad Gregorium Bellarminus respondet, reprehendere solum cultum imaginum superstitiosum, id est, quo imagines coluntur vt Dij. Probat primò ex Epistola 53. libri 7. *Scio quòd imaginem Saluatoris non ideò petis, vt quasi Deum colas, sed ob recordationem filij Dei in eius amore recalescas.* Secundò ex quinta eiusdem. *Sublata, quæ dignum est veneratione, atque cruce.*

XII. Nec videtur responsio improbanda. Omnino enim verum, improbari à Gregorio superstitiosum cultum Imaginum: nec à Catholicis alium Sed obseruandum, nullum posse honorem, siue adorationem, deferri imaginibus, vt non sit cultus superstitiosus. Itaque primò Gregorius dixit, *adorare imagines, omnibus modis deuita.* Secundò, nullum imaginum vsum, nisi historicum, opponit eorundem cultui Næ si eandem caussam hodie Paulus quintus ageret, non sic ageret. Non, inquam, diceret, omnibus modis vitandum, ne imagines adorarentur: sed molli latriæ, duliæque distinctione posita, acutè pronunciaret, latria solum Deum colendum: at suo etiam gradu, imagines, dulia. Sed id Gregorio in mentem non venisse mirum: nisi verius, nondum tantam sophisticem natam. Itaque probo etiam primam probationem, ex Epistola 53. Nam, vt alias docuimus, quicquid religiose colitur, colitur vt Deus. Et rursus cultui, quo imago colitur vt Deus, nihil opponitur, nisi recordatio Filij Dei, qui vsus est historicus De Epistola 5. videtur Gregorius sibi minus attendisse, quum ageret cum eo, cui se confidebat solo nutu persuasurum. At quum vidit Serenum, paratum contradicere, tum vt fit, continuit se magis intra terminos moderationis: itaque ex epistola ad Serenum, corrigenda illa ad Secundinum, potius quam ex ea ad Secundinum corrumpenda ea ad Serenum.

XIII. Amplexi sunt hanc Gregorij sententiam Galli: vt apparet ex gemina Synodo Francofurtensi, & Parisiensi, quæ vtraque vel præcipuè hac eius autoritate nititur. Quin idem patet ex Iona Aurelianensi Agobardo, Valafrido, Hincmaro, Aimoino. Ionas ille magno fastu caussam agit imaginum contra Claudium Taurinensem: & tam animose, vt hoc vno capite non contentus, etiam aliis hæreseon capitibus onerare conetur: quanquam non ex comperto, sed incerto auditu. Libro 1. de Claudio. *Dum super gregem sibi creditum pro viribus superintenderet, eumq; prædicationis suæ instantia, ad amorem cœlestis patriæ, quantum videbatur, accendere satageret: vidit eum inter cætera, quæ emendatione digna gerebat, superstitiosæ, imò perniciosæ imaginum adorationi, qua plurimum nonnulli illarum partium laborant, ex inolita consuetudine deditum esse. Vnde immoderato & indiscreto zelo succensus, non solum picturas sanctarum rerum gestarum, quæ non ad adorandum, sed solummodo, teste B. Gregorio, ad instruendas nescientium mentes, in Ecclesiis sunt antiquitus fieri permissæ, verum etiam cruces materiales, quibus ob honorem, & recordationem redemptionis suæ sancta consueuit vti Ecclesia, à cunctis Parochiæ suæ basilicis dicitur deleuisse.* Paulò post; omnes Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ sincerissimos cultores, Galliam, Germaniamque incolentes, ab imaginum superstitiosa adoratione immunes appellat. Et rursus. *Sinantur à te imagines Sanctorum, & historiæ quæq; sanctorum operum, non vt adorentur, sed potius vt quandam pulchritudinem reddant, & quarundam præteritarum rerum memoriam sensibus imperitorum ingerant, in Ecclesiis depingi.* Iterum. *Illud quod imaginum adoratores tibi ad suum errorem muniendum respondisse scripsisti, ita inquiens, Non putamus imagini, quam adoramus, aliquid inesse diuinum, sed tantummodo pro honore cuius effigies est, tali eam veneratione adoramus: vnà tecum reprehendimus ac detestamur: quia, cùm eorum scientiam non subterfugerit, imaginib. nihil inesse diuini, maiori digni sunt inuectione, eo quod debitum honorem Diuinitati, impenderint infirmo, & egeno simulacro.*

XIV. Rursus: quum diceret Claudius; *Si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda, quanto magis opera manuum hominum adoranda, & colenda non sunt? Prorsus nec in honore eorum quorum similitudines esse dicuntur.* Hæc, inquam, cum Claudius diceret, respondet Ionas, *In huius sententiæ sensu nobiscum sobriè sapis:* distinguens tamen opera manuum Dei; quibus honorem relinquit alium ab honore Dei: ab operibus hominum, quibus nullum. Eò enim referenda, quæ statim subiiciuntur. *Verum est, inquam, quia neque opera manuum Dei, neque opera manuum hominum sunt adoranda & colenda: illo videlicet cultu & adoratione qui solius Diuinitatis est. Opus namq; manuum Dei, corpora sanctorum præcedentia opusculi tui te dixisse produnt, quæ non adoranda adoratione Diuinitati debita, sed pio sunt amore amplectenda & honoranda, vtpote Sancti spiritus templa sacra.* Nam ita tum docebatur; vt disparentur Sancti, eorumque reliquiæ, ab imaginibus: & his quidem negabatur deferendus honor: illis autem, relinquebatur cultus amoris; at non adorationis. Statim autem. *Sed & illud quod subiungis. Quia si imago, quam adoras, Deus non est, nequaquam veneranda est pio honore sanctorum, qui nequaquam diuinos sibi arrogant honores: omnino approbamus, congruumq; fidei Catholicæ esse iudicamus.*

XV. Denique Ionas iste, vnus ex illis fuit autoribus Synodi Parisiensis: quique adeo delectus est, vt eius acta deferret ad Papam. Ac proinde Orientes, id est, Græcos, nimirum qui ex decreto Nicænæ Synodi secundæ imagines colebant, sceleratissimo errori mancipatos dicit. Proinde numeratur a Baronio inter eos qui magna temeritate atque proteruia inuehererentur in Romanum Pontificem, qui illius Synodi decretum assereret, atque probaret. Anno octaui seculi nonagesimo quarto, paragrapho quadragesimo.

XVI. Agobardi Lugdunensis Episcopi edita sunt nuper opera, è Bibliotheca Papyrij Massoni. In iis libellus de picturis & imaginibus. Initium statim à secundo Legis mandato, quod ille primum computat: & *non de solis,* inquit, *similitudinibus alienorum Deorum, intelligitur dictum, sed & cœlestibus creaturis, aut quæ in honore creatoris humanus sensus potuit excogitare.* Et, interiectis quibusdam ex Deuteronomio. *In quibus verbis summopere notandum est, quia si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda, nec in honore Dei, quanto magis opera manuum hominum non sunt adoranda & colenda, nec in honore eorum, quorum similitudines esse dicuntur?* Item. *Melius esse animam, deterius corpus, eminentius spiritum, infimam carnem, nouit qui ea quæ paulo superius sunt posita Sancti Augustini verba legit, & intelligit. Multo autem hæc deteriora esse, quæ humana & carnalis præsumptio fingit, etiam stulti consentiunt. In quo genere istæ quoq; inueniuntur, quas Sanctas appellant imagines: non solùm sacrilegi, ex eo quòd diuinum cultum operibus manuum suarum exhibent, sed & insipientes, sanctitatem eis quæ sine anima sunt, imaginibus tribuendo: nec hoc solum, sed sanctificationem quoque, quam per verbum Dei fieri testatur Apostolus, eis quæ nunquam loquuta sunt simulacris clementer* (lego dementer) *concedendo.* Rursus. *Si vlla imago esset adoranda vel colenda, Creatoris potius esset quam creaturæ. Nempe hominem fecit Deus ad imaginem & similitudinem Dei: Homo autem facere non potest quicquam, in quo sit similitudo hominis in mente & ratione. Nam si exprimit vtcumq; sculpendo, vel pingendo, aliquam similitudinem corporis, aut membrorum, hoc vtique exprimit, quod minimum est in homine: non quod maximum. Certè si adorandi fuissent homines, viui magis quàm picti, id est, vbi similitudinem habent Dei, non vbi pecorum, vel quod verius est, lapidum, siue lignorum, vita, ratione, & sensu carentium.*

XVII. Hæc vehementiora, & disertiora. *Nemo se fallat, nemo se seducat, nemo se circumueniat. Quicumque aliquam picturam, vel fusilem, siue ductilem adorat statuam, non exhibet cultum Deo, non honorat Angelos, vel homines sanctos, sed simulacra veneratur. Agit hoc nimirum versutus & callidus humani generis inimicus, vt sub prætextu honoris sanctorum rursus idola introducat, rursus per diuersas effigies adoretur, vt auertat nos à spiritalibus, ad carnalia verò demergat: ac per omnia simus digni, ab Apostolo audire, ô insensati, quis vos fascinauit? &, sic stulti estis, vt cum spiritu ceperitis, nunc carne consummemini?* Paulò post, *Aspiciamus picturam, quasi picturam*

vita, sensu, & ratione carentem: pascatur hac visione oculus: Deum vero veneretur animus. Iterum: *Recte ob huiusmodi euacuandam superstitionem, ab Orthodoxis Patribus definitum est, Picturas in Ecclesia fieri non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Rursus: *Necdum* (& loquitur de Concilio Carthaginensi, in quo decretum, non construi altaria absque reliquiis) *error emerserat, quo nunc de carbonibus, minoque vel Sinopide figurata effigies, sancta imagines vocarentur, & adoranda prædicarentur.*

XVIII. Quid plura? Vide totius disputationis Synopsin à Massono. In ea hæc. *Vnus Deus adorandus sine imagine. Nullum exemplum alicubi totis Testamentis, Patribusq; adoranda imaginis, esse debere ornamento delectandis oculis, non instruendis populis. Nulla est alia Dei imago, quam hoc quod est ipse: & secundum quod est ipse, non potest pingi, ideo neq; adorari in imagine, nisi in illa quam ipse nobis præscripsit, nempe Christo. Duplici quidem adoratione, externa & interna. Vtraque vocatur religio: qua interne, & externe obstringimur, æternum, & soli Deo, ad quam pertinent δουλεία, λατρεία, cæteriq; cultus quatenus sunt nomina religionis. Vbi vero sunt nomina officij, & seruitutis humanæ, δουλεία potest dici de seruis, & subditis, σέβεια, de omnibus: Honor, de sanctis & martyribus pietas de parentibus. At sola religio de Deo, quia soli omnino Deo debetur. Vnde patet, neq; Angelos, neq; sanctos, vllo religionis adorandos cultu, præter æternam Dei imaginem, quæ se mediam inter homines, Deumq; constituit.*

XIX. Quid illud eiusdem præfatione ad Ecclesiam? Lugdunensem? *Græcorum errores de imaginibus & picturis manifestissime detegens, negat eas adorari debere.* Nam, qui Græcorum errores de picturis, nisi qui à septima Synodo? Illa, inquam, Synodo, quæ Frãcofurti apertis sententiis damnatur, eodem teste in eadem Synopsis? Sed ista: *Quam sententiam omnes Catholici probamus, Gregoriiq; magni testimonium de illis sequimur.* Ista, inquam, quomodo, aut quo sensu, aut de quibus dicta accipimus? De quibus, inquam, Catholicis? Itane? hodie Catholici, id est, Papistæ, nam in Papistis Massonus: illi igitur Catholici, amplectuntur Agobardi sententiam de imaginibus? Ergo non Catholici Nicæni illi, qui damnati Francofurti. Non Catholicus Adrianus, qui Francofurtenses refutauit. Non Catholicus Bellarminus, qui diserte adorandas pronunciat: & adorandas per se: atque ita vt adorationem terminent.

XX. De Valafrido Strabone, audi testimonium Baronii; §. 41. anni septingentesimi nonagesimi quarti. *Eiusdem pene sententiæ fuisse reperitur Valafridus Strabo, eiusdem seculi auctor, qui duas pariter classes in his errantium constituens, ait: Nunc iam de imaginibus & picturis, quibus decus Ecclesiarum augetur, dicenda sunt aliqua: quia & earum varietas nec quodam cultu immoderato colenda est, vt quibusdam stultis videtur: nec iterum speciositas ista est quodam despectu calcanda, vt quidem vanitatis assertores existimant.* Et inferius. *Notandum vero, quod sicut quidam easdem imagines vltra quam satis est, venerantur: ita alij, dum volunt cautiores in religione videri, illas, vt quasdam idololatriæ species, respuant. Citant autem Concilia aduersus destructores imaginum habita, reticens vero illa, quæ pro imaginum cultu fuerunt antea celebrata: iam plane cuius ipse farinæ fuerit, liquido est aspicere, dum & illum tantum honorem docet sacris imaginibus tribuendum, si non deiiciantur & conculcentur. Nam subdit: Non sunt omnimodis honesti & moderati imaginum honores abiiciendi: si enim ideo, quia nouimus non adorandas nec colendas iconas, conculcandæ sunt & delendæ picturæ, quasi non necessariæ, & nociuæ: Ergo, &c. docens eas conseruandas tantùm ad ornatum, & ad instructionem populi historicæ veritatis.* Valafridus ergo, non amicus Papistarum: etsi ille sanè toto eo capite, quod octauum est libri de rebus Ecclesiasticis, longè durius loquatur de honorandis imaginibus, longeque magis ad partes Græcas, quam Ionas, Agobardus, alij.

XXI. De Hincmaro Rhemensi, idem Baronius, eodem loco. *Inter nos est annumerandus Hincmarus Rhemensis Episcopus, dum hæc ait: Septima autem apud Græcos vocata vniuersalis pseudo synodus, de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant: neutra verò pars intellectu sano definiens, sine autoritate Apostolicæ sedis, non longè ante nostra tempora Nicæa est, à quamplurimis Episcopis habita, & Romam missa: quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Vnde tempore Caroli magni Imperatoris, iussione Apostolicæ sedis, generalis Synodus in Francia, Francofordia scilicet, conuocante præfato Imperatore, celebrata, & secundum Scripturarum tramitem, traditionemque maiorum, ipsa Græcorum pseudosynodus destructa, & penitus abdicata. De cuius destructione non modicum volumen, quod in palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quendam Episcopum missum. Et paulò post de titulo vniuersalis Synodi, ista subnectit Autoritate itaque huius Synodi, Francofordiensis videlicet, nonnihil repressa est imaginum veneratio: sed tamen Hadrianus & alij Pontifices in sua opinione perseuerarunt, & mortuo Carolo, suarum puparum cultum vehementius promouerunt: adeo vt Ludouicus Caroli filius libro longè auctiori injectatus sit imaginum cultum, quàm Carolus. Hæc ipse: & certè nimis inconsultè, atque adeo temerè.* Satin' diserte Hincmarus, contra Græcos, contra Hadrianum: atque adeo contra cultum imaginum? Satin' acriter Baronius contra Hincmarum?

XXII. Superest Aimoinus: eius verba sunt libri 5. cap. 28. de Synodo octaua, in qua, præsentibus Adriani legatis, schisma de Ignatij depositione sedatum est. *In qua Synodo de imaginibus adorandis aliter, quàm orthodoxi doctores antea definierant, statuerunt: & quædam pro fauore Romani Pontificis, qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, & quædam contra antiquos canones, & contra ipsam suam Synodum, constituerunt, sicut qui eandem Synodum legerit, patenter inueniet.* Nimirum in ea Synodo erat sancitum canone tertio in decima sessione: Imaginem Christi, eadem veneratione colendam, cum quatuor Euangeliorum libro: venerandas item, & adorandas imagines Virginis, Angelorum, & Sanctorum. Eum igitur Canonem Aimoinus improbat, iis verbis, quæ recitantur à Baronio §. 66. anni octingentesimi sexagesimi noni. Et sic legebatur in omnibus editionibus, donec prodiit nouissima Parisiensis, procurata à Iacobo de Breul, monacho, qui insigni, imò horrenda fraude locum interpolauit in contrarium sensum. Sic enim expressit, *In qua Synodo de imaginibus adorandis, secundum quod orthodoxi doctores antea definierant, statuerunt.* Nulla verba sunt, quæ tantam perfidiam satis detestari queant. Videant cordati: & discant, quantum fidei sit istiusmodi monachis.

XXIII. Accedit testis Anastasius Bibliothecarius, in præfatione ad septimam Synodum à se versam. Recitat Baronius eodem loco. *Quæ super venerabilium imaginum adoratione præsens Synodus docet, hæc Apostolica sedes vestra, sicut nonnulla scripta innuunt, antiquitus tenuit, & vniuersalis Ecclesia semper venerata est, & hactenus veneratur, quibusdam duntaxat Gallorum exceptis, quibus vtiq; nondum est harum vtilitas reuelata.* Hæc Anastasius, qui interfuit octauæ Synodi, annis paulo paucioribus centum post Francofurtensem. Hoc igitur teste, dissentiebant à Romano Pontifice Galli in caussa imaginum. Quanquam vix erat tanti huius testimonium: cùm recentior sit Aimoinus, duodecimo seculo.

XXIV. Guillelmus Durandus Mimatensis, libro quarto Rationalis cap. 39. *Nec ipsis* (Sanctis & Angelis) *adorationis seruitus, sed soli Deo impenditur: ne, si secus fiat, non Θεοσέβεια cultus exhibeatur, sed idololatriæ crimen incurratur, seruiendo creaturæ tanquam creatori, & mutando gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Si igitur nec homines, nec Angeli adorandi sunt, attendant quid agunt, qui sub prætextu cuiusdam religionis, seu pietatis, diuersas adorant imagines. Non enim licet aliquid manufactum adorare.*

FINIS LIBRI VIGESIMI PRIMI.

LIBER